IO. HENRIC. SCHVTTEI

SVSATENSIS, MEDIC. DOCTORIS

ORYCTOGRAPHIA IENENSIS,

SIVE

FOSSILIVM ET MINERALIVM

IN

AGRO IENENSI

BREVISSIMA DESCRIPTIO ETC.

QVAM

REVIDIT, NONNVLLA PRAEFATVS EST ADNOTATIONESQVE

SVBIECIT

CHRIST. VALENT. MERCKELIVS,

MEDIC. DOCTOR, QVONDAM PHYSICVS CIVITATIS AC TOTIVS FRANCOBERGENSIS TERRITORII, IAM VERO MEDICVS PROVINC. HASSIACVS ET SVBPHYSICVS SMALCALDENSIS.

EDITIO ALTERA RENOVATA

IENAE

SVMTIB. THEOD. WILH. ERNEST. GÜTHII

MDCCLXI.

PERILLVSTRI

ET

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

GODOFREDO

L. B. DE NONNE

SERENISS. DOMVS SAXO-VINAR.

ATQVE ISENACENSIS A CONSILIIS INTIMIS

AERARII PROVINCIALIS VINARIENS.

DIRECTORI, RELIQVA

MAECENATI OPTVMO.

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

ATQVE

EXPERIENTISSIMO

CAROLO FRIDERICO KALTSCHMIED

PHILOS. ET MED. DOCT.

SERENISS. DVC. SAXO-VINARIENS. ET ISENAC. CONSIL. INTIM. CAMERAL. SERENISS. MARCH. BRANDENB. CVLMBAC. ET SERENISS. LANDGR. HASSO-DARMSTAD. CONSIL. AVLIC. ET MEDIC. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTANIC. PROF. PVBL. ORD. COMIT. PALAT. CAESAR. ACAD. IMPER. NAT. CVRIOS. COLLEG. ACAD. ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTIL. ASSESS. SOCIETAT. ELEGANT. ET SVBLIM. TEVT. IENENS. INSPECT. PHYSICO PROVINC. IENENS.

GRATIOSAE FACVLT. MED. SENIORI

PATRONO ET PROMOTORI SVO

MVLTIS NOMINIBVS VENERANDO

ET VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

ATQVE

EXPERIENTISSIMO

ERNESTO ANTONIO

NICOLAI

PHILOS. ET MED. DOCT.

POTENTISSIMI REG. BORVSS. NEC NON SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. CHYMIAE ET PRAX. PROF. PVBL. ORD. ACAD. ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTIL. SODALI

PATRONO AMICO

ATQVE

HOSPITI

AETERNVM COLENDO

NEC NON

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

ET

CONSVLTISSIMO

IOACHIM GEORG. DARJES

HAEREDITARIO DE CAMSDORF

ET IN WENIGEN-IENA

SERENISSIM. DOMVS SAXO-VINARIENS. ET ISENAC. A CONSILIIS AVLICIS PHIL. ET I. V. D. PHIL. MORAL. ET POLITIC. PROF. PVBL. ORD. SENATVS ACAD. SCIENT. VTIL. ELECT. MOGVNT. ASSESSORI ORD. SOC. IENENS. SCIENT. SVBL. COLLEGAE

FAVTORI ET AMICO

NVMQVAM NON SVMMA VENERATIONE

NOMINANDO

PATRONIS

MVSARVM MAXIMIS

HANCCE

QVALEMCVNQVE ELEGANTIS LIBELLI

ILLVSTRATIONEM

OB

BENEFICIA IN SE COLLATA

IN PERPETVAE

CLIENTELAE OBSERVANTIAEQVE

MONVMENTVM CONSECRAT

AC SIMVL

OMNE PROSPERITATIS GENVS

SVBMISSE ET PIE

PRECATVR

SE SVAQVE STVDIA

DE MELIORI COMMENDANS

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

CHRISTIANVS VALENTINVS

MERCKEL.

DE

ORYCTOGRAPHIAE VSV

IN MEDICINA

BREVIS COMMENTATIO.

Data *hac occasione* non nihil commentaturus de *oryctographiae vsu* in *arte salutari*, cum *maxime eximio*, tum *longe amplissimo*, eaque propter *magnopere laudando*, operae pretium me facturum esse, arbitror, si *potiora* praemisero ex illis, quae *lectori beneuolo ante perspicua esse*, mea *multum* sane refert.

Ego quidem ab ineunte deprehendi iuuentute *metallicarum rerum* cognitionem non solum ornare medicum, verum etiam *apprime* necessariam esse, eamque ob caussam a

dicto meae aetatis tempore *ſummam* confeſtim *curam in eo poſui*, vt *et has res*, quae hodie plerumque inter medicos, *ſi verum fatendum*, *neglectae iacent*, *penitus perſpicerem*. Neque enim intelligi poteſt vlla medicae artis ſcientia ſine diligenti atque adcurata naturae contemplatione, quae quamquam, vt CELSVS ait, non faciat medicum, *aptiorem* tamen ad medicinam excolendam *reddit*. Verum enim vero exulat apud plerosque medicorum noſtrae aetatis hoc ſtudium adeo, vt ſub *merae curioſitatis* titulo tamquam *inutile quid* deſpiciatur.

Rem *iuſto aequius* perpendens, non ita multo poſt vitam academicam omne tempus, quod mihi a medendi ſtudio et a phyſici ordinarii munere reliquum fuit, praecipue in cognoſcenda rerum metallicarum ratione conſumſi ad diem vsque hodiernum. Immo *maiori animi impetu* incitatus *longum iter ſtudii metallici cauſſa* quondam feci in *vtramque hercyniam*, metallorum aliarumque rerum, quae ex terrae viſceribus eruuntur, prouentu *admodum illuſtrem*, in terram porro *Blanckenburgenſem*, et per *prouincias*, quam longe lateque patent, *patrias*. In toto hoc itinere ad id omnem adhibui animum, vt, quicquid *notatu dignum* et *vtile* viſum, illud omne *ſedulo* adnotarem, inque *commentarios meos adcurate referrem*. Quo facto, accidit, vt commentarii illi a me ſcripti in magnam molem

molem excrefcerent, quos, *fi Deo placuerit, die Merkwürdigkeiten der gethanen bergmännifchen Reifen* infcriptos, *propediem* typis defcribendos curabo.

Ex his *luculenter* adparet, me ad illuftrandum praefentem *libellum*, certe *non ineleganter fcriptum*, neutiquam *illotis, vt aiunt, manibus* acceffiffe. Neque vero non adhuc mihi in *nouo, in quo iam fum, itinere, ftudii medici excolendi cauffa fufcepto*, parare foleo *aliorum opufculorum* in pofterum *adornandorum praefidia.* Primo enim die nouembris a. p. *Smalcaldia, vrbe patria*, relicta, *Gotham, Erfurtum, Vinariam* me contuli, tum vero *Ienam* difceffi *inclutam mufarum fedem*, vbi *eruditorum virorum* per totum terrarum orbem *celeberrimorum vfu* et *familiaritate* frui adhuc mihi licuit, id quod factum non fine *fumma animi voluptate.* Ante *non multum* tempus incidit in manus hoc *opufculum.* Duo exemplaria vnius eiusdemque editionis ad meas peruenere manus. Libello hoc lecto, quum *admodum rarum* effe fcirem videremque, *multa* in eo effe et *iucundiffima* et *vtiliffima*, *nouae editionis procurandae* confilium cepi, *etiam in hoc itinere meo*, inter has vehementiffimi venti atque pluuiae minas, et varia non infitianda *obftacula*, quae pedem ad res foffiles Ienenfis agri denuo curatius perueftigandas, quo αὐτόπτης fierem, remorantur, et calamum in fcribendo impediunt. Res quoque maxime *optabilis* vifa

ſa eſt *viris in arte praeſtantiſſimis*, cum quibus mihi *neceſſitudo* eſt et *familiaritas*. Itaque omnibus remotis impedimentis, *clariſſimi auctoris*, qui num adhuc ſit in viuis, an ἐν ἁγίοις? neſcio, dicta ſtudioſius rimatus, *naturae his in terris theſauros* perſcrutatus ſum ac collegi. Plurimorum foſſilium *ſpecimina* in quorundam *amicorum* collectionibus, *quibus gratias heic loci ago publicas*, plus ſimplici vice contemplatus ſum *curioſius*. Hic *mirari ſatis non poſſum, quanta* ſit *paucitas eorum*, qui in *hac muſarum officina, eruditionis ceteroquin optimis praeſidiis adfluenti*, in mineralis proſapiae corpora *paullo ſerius* inquirunt. Ab *auctore* propoſita certe *non* ſunt *proletaria, non inutilia*. Stilus omnino eſt *aptus, concinnus*, et *intellectu facilis*. Libellum *ſat doctum* eſſe intellexi, vt tum erant in hoc ſtudii genere tempora. Attamen non deſunt, quae lima indigent, quam libello admoui. Siſto ergo tibi, *lector beneuole*! hunc libellum non contemnendum, variisque hinc inde locupletatum animaduerſionibus, et adcuratius correctum. In *claſſium diſpoſitione* et *contextu nihil mutandum* eſſe, cenſui, quo factum eſt, vt fere nihil, niſi quod orthographiae, hodie vſitatae, minus congruum vna cum typothetae erroribus aliisque mendis immutarim. Si quid tamen monendum duxi, hoc in additis feci animaduerſionibus. Omnia feci *amice*, idque praeſtiti, quod poſtulauit *noſter auctor* ad calcem praefationis hunc in modum:

Inte-

Interim vale L. B. et ea, quae tibi displicent, solide et amice corrige; vale atque faue!

At totum rerum indicem quoad paginas commutaui. Superuacanea visa est *aucloris* dedicatio, ad *Serenissimum Principem Salfeldensem* ac *Dominum*, *Dominum* IO. ERNESTVM, *Ducem Saxoniae* reliqua, directa, vtpote qui *Princeps* iam inter coelites triumphat. Haec fuit caussa, cur prelo non fuit commissa dedicatio. Idem dicendum de *imagine Dni auctoris*, *aeri incisa*, et, vt moris est, libri fronti anteposita. Haec imago sequentem gessit subscriptionem:

IO. HENR. SCHVTTEVS
SVSATENSIS, MED. DOCTOR,
RERVMQVE NATVRALIVM
INDAGATOR

Natus MDCXCIV.

Veri rerum naturalium *indagatoris nomen tam praeclarum clarissimus auctor* meruit, idque *iure optimo*.

Haec ergo sunt, quae a lectoribus non ignorari, *mea haud parum interesse* arbitror.

Iam propius ad scopum accedo. Praefabor enim *opusculo* huic non nulla de *oryctographiae notione*, eiusque *egregio commodo*, quod *optima* haec *doctrina* in *arte praestat salutari*. Neque errare me puto, si definiam, *oryctographiam* f. *oryctologiam* nihil aliud esse, quam omnium

omnium corporum naturalium, quae *regnum* ſic dictum *foſſile, lapideum, minerale* ſ. *ſubterraneum* complectitur, cognitionem *tam hiſtoricam, quam philoſophicam.* Qua mente volo, *metallurgiam arcto coniungi vinculo*, de qua mox fuſius dicam. Mihi omnis cognitio eſt vel hiſtorica vel philoſophica. Namque cognitio rei verſatur vel circa rationem rei ſufficientem qua talem, vel non. In caſu priori dicitur cognitio *philoſophica*, in poſteriori autem *hiſtorica.* Hiſtorica rerum cognitio ſenſuum externornm beneficio accerſitur, haecque ſemper ſupponenda ſ. *praemittenda* eſt cognitioni rerum philoſophicae, vbi *ſenſus interni* ſuccurrunt, quippe qui in auxilium ſunt vocandi. *Mathematicam* cognitionem *de induſtria praetereo.* Adducta *oryctologiae* notio *lithologiam, late ſumtam, lithographiam* atque *lithognoſiam* ſimul iure inuoluit optimo. Hodie ſaepenumero *oryctologiae* loco *mineralogiae vocabulum* adhibetur, id quod etiam ſumitur in ſenſu latiori.

Metallurgia eſt illa *hiſtoriae naturalis* particula, quae in foſſilia *chymice* ac *philoſophice* inquirit: eſt *pars Chymiae principalis.* Non equidem ignoro, inter eruditos eſſe, qui hanc aeque ac illam (mineralogiam puta) diſciplinam ſub *mineralogiae* nomine inuoluunt, ſed minus adcurate. *Oryctographia*, aut ſi mauis, *mineralogia metallurgiae fundamentum* eſt, ſi non in totum ſaltem ex optima parte.

Chy-

Chymia rationalis prorsus non fundamenti ratione excludenda est. Mirabilis est omnium scientiarum nexus, et omnes in circulum redeunt.

Oryctologia est graecae originis et deriuatur ἀπὸ τȣ͂ ὀρυκτȣ͂ καὶ τȣ͂ λόγȣ, primum vocabulum ὀρυκτὸς, ἡ, ὀν, significat corpus *fossum* s. fossile, alterum ὁ λόγος latinis audit sermo, cuius radix est λέγω, dico, prioris radix est ὀρύσσω, *fodio.* Oryctologia latinitate donata, s. oryctographia est fossilium designatio, et versatur in *adcurata* horum corporum *contemplatione, cuius opera* cognitionem acquirimus. Hinc haud difficulter adparent oryctographiae ac caeterorum synonymorum deriuationes.

Metallurgia etiam est vox composita, origine graeca, τὸ μέταλλον, *metallum*, a μεταλλάω, *scrutor, inquiro*, sunt vocabula, quibus deriuationem debet. Meo quidem iudicio *metallurgia* seiuncta existit ab ante adductorum vocabulorum idea, proprie complectens *tractationem* fossilium s. metallicorum *chymicam*, quippe quae in acquirenda *philosophica cognitione* extra omne dubium *vtramque* facit *paginam*, ac simul in *chymiam sublimiorem physicam*, quae nostra aetate *medico rationali tantopere necessaria videtur*, vt *ea carere nequeat*, *maximam* infert *vtilitatem.*

Vt autem ordine procedam, partes *medicinae*

cinae indicabo, in quibus *oryctographiae* ſ. *mineralogiae vtilitas ſumma* eſt.

Materia medica, *Chymia pharmaceutica*, *Therapia* ſ. *Praxis clinica* et *Medicina forenſis* ſunt partes, in quibus noſtrae diſciplinae vſus profecto eſt *ampliſſimus*. *Solida* ac *bene fundata oryctographia* dictis artis ſalutaris partibus *maximum* adfert *emolumentum*. Ad hoc conſectandum ſequentes regulae in naturae theſauris perſcrutandis *paullo operoſius* ſunt applicandae:

1. *attenti* ſint oculi, quippe *ſumma attentione* opus eſt, quam qui non adhibere velit huic ſatius fuerit, hoc ſtudii genus non attigiſſe:
2. nullo non tempore in terrae viſcera deſcendendum eſt:
3. *frequentes* ſermones cum metallifoſſoribus et metallurgis (*mit Probirern und Schmelzern*) ſunt habendi:
4. *ſaepenumero* docimaſticae officinae curioſius ſunt oculorum mentisque acie contemplandae. Huc ſpectant omnes officinae noſtratibus *Schmelz-Hammer-Puch-Waſch-Salzwerke*, *Glashütten* et ſic porro dictae:
5. experimenta quam plurima *ex arte* inſtituantur, et repetantur.
6. *optimae notae* ſcripta legantur atque relegantur:

7. *bene*

7. *bene ordinatae* foſſilium collectiones omni data occaſione perluſtrentur. Has collectiones ſ. oryctophylacia viſendi opportunitate *numquam non* vtendum:

8. rerum naturalium indagator ſibi caueat, *ne inutilibus ſpeculationibus inhaereat.*

At pro ipſo ſcopo, *diuina opera*, ſemper notatu digniſſima legitime perſcrutandi rectamue horum notitiam ſibi acquirendi, in dictis maxime rerum cardinem verſari, mihi quidem perſuadeo. Pro qua veritate confirmanda non poſſum non ad vſum reſpicere, eumque perinſignem, vtpote quem medicorum haud pauci, *doctrina* atque *ingenio eximii*, ſumma ex attentione, deſcenſu in terrae penetralia, ſermocinationibus cum metallifoſſoribus, metallurgisue factis, ex frequenti et legitima experimentorum inſtitutione, aſſiduaque optimorum ſcriptorum lectione, qua laudabili ſemper modo vſi ſunt, perceperunt. Ad quorum numerum potiſſimum referendi GALENVS, AGRICOLA, Cordus, Conradus et Io. Geſnerus, Ramazzinus, Io. Iacob. et Io. Scheuchzerus, *fratres, indefeſſi naturae indagatores*, Becherus, Volkmannus, Baierus, Kundmannus, Henckelius, Hoffmannus, Stahlius, Brückmanni, *Parens* et *Filius*, Hebenſtreitius, Ludwigius, Pottius, Seipius, Walle-

rius, Lehmannus, *illud Berolinensium decus*, Baumerus, *Erfurtensium professor praestantissimus, mihique amicissimus, qui mineralogia territorii Erfurtensis in vulgus edita eruditis innotuit*, vt alias taceam scriptiones, et CARTHEVSERVS, *iunior, isque amicus integerrimus*, nec non *auctor noster*, vt de aliis taceamus. Non omnes tamen, a me nominati, *vtilia* ab *inutilibus* in scriptis suis separarunt. Nominatorum aliqui *multum inutilis speculationis* immiscuerunt, (*vid. n. 8. datarum regularum*) homines enim fuerunt, et *humani quid* passi sunt. Omnes, nullo excepto, sint exemplo, numquam non, *reiectis vanis*, imitando. Est omnino studium *maximi laboris*, *non vnius diei*, vel *anni*, sed continuandum per *longam temporum seriem*, vbi dies diem, annus annum docebit. Constans et verum hoc permanet, quod veteri est in prouerbio: *ardua, quae pulcra!* Haud igitur summum oryctographiae vsum *tam commodo loco, quo se offert*, *sicco* nimis *pede* praeteribimus.

Primum nominaui *Materiam medicam*, cuiusque ad cognitionem comparandam multi vsus est *oryctographia*. *Materia medica* de medicamentis simplicibus historice ac philosophice tractat, quibus medici tamquam instrumentis propriis cum ad sanitatem hominum conseruandam, tum ad amissam restituendam vtuntur. *Perfectissimam*, quantum fieri potest, horum corporum *cognitionem*

nem debet ſibi acquirere *futurus medicus.* In *ampliſſimo auxiliorum medicorum cenſu magnam ſimplicium ſeriem explet regnum foſſile.* Si artis cupidus in hoc regno eſt hoſpes, timendum, ne *conſcientiam maculet errores* in curationibus *committendo.* Quodſi e contrario noſtrae doctrinae haud expers, ſed *optime* peritus eſt, multo *felicius, velocius, curatiusque indolem* ac *naturam aquarum* atque *terrarum medicatarum* perſpiciet. Ille *adcuratam ſalium, corporum ſulphureorum* et *bituminoſorum* acquiſiturus eſt *notitiam*, quorum adeo magnus numerus in *Materia medica* ciuitate quaſi donatus eſt. *Metallica corpora*, quibus quoque eſt ciuitatis ius in Materia medica *adcuratius* cognoſcet *in aegrotantium ſalutem.* Oſteocolla, vnicornu foſſile, Pumex, Alumen plumoſum, Lapis calaminaris, Lapis armenius, Lapis lazuli, Haematites, Cryſtallus montana, Gemmae, Lapis iudaicus, Lapis belemnites, Talcum, Lapis ſpecularis ſ. Glacies Mariae, Pompholyx, Tutia, et huius generis alia, quae *materiam* ad medendum, vel *intrinſecus dandam*, vel *extrinſecus adplicandam* propinant, ipſi erunt *notiſſima* quoad *affectiones externas* et *internas. Non is ego nimirum ſum*, qui *omnibus* modo recenſitis *multum tribuat.* Verba, in *Commercio litterario Norimbergenſi* a. 1733. pag. 67. exſtantia, digna ſunt, quae huc adducantur:

Perplacet audacia clariſſimi MONTII, cry-

 ſtallo

ſtallo montanae *omnem virtutem medicam denegantis. Vtinam eſſent plures hoc laudabilis audaciae genere clari, qui inutilia, vel ſuperflua e Materia medica proſcriberent, ne nobilis interdum remedii cuiusdam virtus a tot inertibus obtunderetur.* Glacies Mariae officinalis *in fluore albo mulierum ſaepius adhiberi ſolita, nec diſſoluetur in ventriculo, nec facile corrodetur: fortiſſima enim ad id acida requiruntur, quae in ventriculo non adeo praeſto ſunt. Ergo ibi nec abſorbentem, nec in ſanguine leniter adſtringentem (vti creditum eſt) effectum edet. Tot generibus abſorbentium, annon ſolae* conchae *ſufficerent? Vt ſileam compoſitiones remediorum varias, tam abſurde ſaepe excogitatas, vt nihil abſurdius: quae omnia e rationali Medicina eliminare deceret.*

Haec ſunt verba *doctiſſimi* GMELINI, ex eius litteris ad D. D. TREW excerpta. Nonne tu *ſubtiliſſimis ſelenitis* ſ. *glaciei mariae*, vel *ſpati cuiuscunque ſpeciei particulis*, inter alias diſcontinuatis, ſolutis atque inter ſe commiſtis *intime*, veſceris cibando ſalem communem? *Vtique, nec vllo valetudinis damno. Mineralis regni corpora praeparata* et *chymice cocta* praeſtant *cruda.* Attamen haec coctio non ſemper conuenit, exemplo ſunt *aquae ferratae*, ſanandi virtute praeditae, noſtratibus *Stahlwaſſer*, quibus eiusmodi coctio

in

in totum esset *contraria.* At enim vero sortem illorum *docentium*, praesertim *Materiam medicam profitentium*, doleo, qui fossilium erudorum cognitionem flocci habent, aut in totum negligunt.

Ad *chymiam pharmaceuticam* me conuerto. Quicunque medicinae dat operam, is studio *lithologico omnem simul nauare debet operam.* Cuius studii eum *nunquam* poenitebit, sed potius erit maximi momenti in *chymia pharmaceutica* ad *summum suae perfectionis statum* euehenda. Ante iam demonstraui, *multa* esse medicamenta, quae *naturae regnum fossile dictum pro patrio habeant loco. Chymia pharmaceutica* tradit *rationalem methodum* atque *enchireses*, simplicia rite praeparandi, recte componendi, et nostro corpori apta i. e. magis *homogenea* efficiendi. Quodsi itaque nullum corporum e terrae penetralibus expromendorum notitiam possidet *artis medicae* atque *pharmaceuticae cultor*, *saepiuscule* euenire solet, vt a pharmacopolis, quos Materialisten nominant, non circumueniatur solum, sed etiam impediatur, quo minus in inueniendis nouis remediis, ad pertinaces morbos tollendos aptis, progressus faciat felices. *Pharmacopoeis* si de *arte sua bene mereri* desiderant, auctor suasorque sum, vt naturam, saluberrima medicina instructissimam officinam, familiarem sibi et cognitam reddant, *quod reipublicae foret vtilissimum.* Prudentem vtique, peritum et attentum artifi-

 cem

cem iſta mineralis proſapiae remedia requirunt, a tali vero elaborata, et a medico, rite obſeruatis doſibus, ſecundum indicationes, ex morbi praeſentis genio diligentius ſemper formandas, diſpenſata aut praeſcripta *non minus ſecure* adhibentur, *tam interne*, *quam externe*, ac *quaeuis alia*, immo quid? *ceteris* e regno vegetabili, vel animali *facile palmam praeripiunt*. De *mira cautione* et diligentia, in metallicis diſpenſandis adhibenda, videſis, ſi lubet, notam *diſſertationis meae inauguralis* de *Sarcomate curato* et *ſummopere admirando*, Rintelii a. MDCCLVI. ventilatae, quae p. 29. et 30. ſubbiecta eſt.

Supra iam ὡς ἐν παρόδῳ oſtendi, ſtrenuam foſſilium indagationem ac *veram cognitionem*, quae non eſt *ſuperficiaria*, *maximi eſſe momenti* in *exercenda chymia ſublimiori*, quae chymia phyſica a nonnullis dicitur, vtpote quae ornat et medicum et pharmacopoeum, ſimulque inſeruit nouis veritatibus, *publico adcommodatiſſimis*, eruendis. Vna ſemper doctrina alteri manus porrigit auxiliatrices. Quae quum ita ſint, quantum in hocce naturae ſtudio poſitum ſit emolumenti, ſatis ſuperque intelliges.

Ad *medicos* ſic dictos *phyſicos*, qui *metallifoſſorum* curant valetudinem, maximum profecto commodum ex hoc *mineralis regni* ſtudio redundat, cognitis enim v. c. fodinarum

rum circumſtantiis, cognitis earumdem affectionibus, facilior feliciorque in medelam ipſam via eſt, hilariorque euentus. Haecce *propria experientia edoctus* ſcribo. *Francobergiae* enim in *Haſſia* per quatuor, et quod excurrit, annos, *ciuitatis legitime conſtitutus phyſicus* ſimul morboſis *metallifoſſorum* affectibus perſanandis adhibitus ſum.

Sat quoque *perſpicuus* vſus eſt, quem noſtrum ſtudium praeſtare ſolet *Medicinae forenſi*. *Medicus forenſis* corpora mineralia et metallica, quae corpori humano *minus ſalubria* ſunt atque *noxia*, noſſe debet *diſtinctiſſime*. Namque *maleuoli* homines his vtuntur, vt aliis *maximum damnum*, immo *vitae defectum inferant*. Haec inter inſaluberrima foſſilia *venena metallica*, *ſemper acria* et *acuta*, primum occupant locum; itaque haec quam maxime nociua corpora ſibi *bene cognita* reddiderit *ciuitatis medicus*, *neceſſe eſt*. Multa hic loci in medium produci poſſent, vereor autem, ne, ſi prolixius dicerem, nimium excreſcat mea ſcriptio, et ego extra praefationis limites vager. Vt exemplis res fiat clarior, videantur, quae HEBENSTREITIVS adduxit in libro, *lectu digniſſimo, anthropologia forenſis* inſcripto, a pag. 504. ad pag. 509. Ibi enim *praeceptor meus*, *ad vrnam venerandus*, de venenis metallicis *optime* diſputat, et ſeſe *mineralogum* oſtendit *doctiſſimum*.

Medici, cui *ſalus ciuium* commiſſa eſt, officium requirit, vt *pharmacopoliorum viſitationes particulares ſaepius* inſtituat, et *quandoque vniuerſales* ſ. *publicas*. Harum viſitationum ratione habita in *medici commodum redundat plurimum* ex *vera foſſilium cognitione*. Quodſi huius cognitionis rudis eſt *phyſicus territorii ordinarius*, ei ſine omni dubio *clam illudet* pharmacopoeus. Quae res *inſigni* erit *opprobrio*, praeſertim quum *vulgus* iudicabit, *eum ſuo facere officio ſatis non poſſe*. Habeo itaque, cur omnibus artis medicae cupidis *ſummopere* ſtudium *mineralogicum* commendem.

Per mihi placuerunt verba, quae b. IO. SCHEVCHZERVS protulit in ſua *diſſert. inaugurali* de *vſu hiſtoriae naturalis in medicina*, Bißileae a MDCCVI. publici iuris facta. Non poſſum non ea huc transſcribere.

Quanti olim, SCHEVCHZERVS *inquit* theſ. XII. *habita, et aeſtimata fuerit mineralium indagatio, quamque neceſſariam exiſtimauerint priſcorum ſeculorum medici, teſtantur itinera* GALENI *in* Cyprum *et* Lemnum *inſulas facta, et ſoli mineralium terrarumue indagini dicata, vid. lib. de* Antidotis *et quidem* ſimplicibus. *Suſcepit* Galenus *haec itinera ex rationibus, modernis noſtris adhuc apprime commendandis, ſciuit nempe quantum referat res in ſitu ſuo et loco natiuo conſideraſſe, quam multum conferat haec in ſolo natali inſpectio ad rerum originem, effectus, aliaque exactius et verius detegenda. Eodem res natu-*

naturales tam mineralis regni, quam aliorum regnorum contenta inuestigandi studio et ardore cum multis aliis antecessoribus et collegis, viris celeberrimis flagrauit BERNHARDVS RAMAZZINVS, *in patauino archilyceo medicinae practicae professor publicus, qui inter alia plura in tractatu suo de* morbis artificum *p. 17. sequentia adfert:* Riderent profecto apud nostrates clinicorum non pauci, si alium professorem, rerum naturalium scrutatorem viderent, *loca subterranea cum periculo subeuntem, ad secretiores naturae recessus peruestigandos; quali risu notatum me scio, dum scaturiginem, vnde prodeunt Mutinenses fontes, periculoso tentamine scrutarer, nec non, dum in puteo petrolei nostri in montana regione posito, descenderem; at a* GALENO *discant, qui longas peregrinationes suscepit, ut abditiora naturae arcana curiose peruestigaret, ac medicamentorum vires exacte calleret.*

Omnibus ac *singulis historiae naturalis amatoribus*, hic degentibus, *praecipue* vero *medicinae studiosis*, quos huius tam egregiae scientiae esse amatores vtique oportet, *mirifice* vt *sese commendet praesens opusculum*, vehementer opto. Spero, fore, vt illud non sine maximo oblectamento, emolumentoue versent manibus. Nullus etiam dubito, futurum, vt quicunque rerum naturalium curiosi hunc libellum perlegendo inueniant facile, quod admirentur, res enim fossiles non vltimum certe locum in historia naturali occupant, et sat magna harum rerum, omni attentione

et admiratione multo dignissimarum, copia in dicto regno exuberat. *Quantus* sit *fructus* in rem redundans publicam ex hac cognitione *dici vix potest.*

Ex iam dictis igitur obscurum non est, *oryctographiae* simul cum *metallurgia consociatae vsum in medicina* esse *maximum: nec minus sunt*, quamuis *paucissimi*, qui nostri studii vtilitatem *vltra aequum* extollunt, contra stant *plurimi* ex aduersa acie, qui illius momentum *nimis* deprimunt, et adspernantur. Vtilitas extra *dubii cuiusuis* aleam remotum est, veluti docui. Non possum tamen, quin ad vltimorum sententiam accedam, si dicta intelligi cupiunt de petrefactorum figuratorumque fossilium cognitione. Haec interim *naturalis historiae* pars, puto cognitionem petrefactorum curiosis *sat magnam* praestat *vtilitatem*, nempe *suauissimas* de *summi Creatoris sapientia* atque *bonitate meditationes* ac demonstrationes quibus *maxima animi tranquillitas aequis* horum corporum *aestimatoribus* paritur, *constansue gaudium.* Hocque ipso summum felicitatis humanae apicem, mercedis quasi loco, et in hac imperfecta vita attingunt. Nec iniuria hocce *felicitatis beneficium* sibi vindicat studium *lithologicum.* Experientia edoctus certissima, cognoui vtrumque commodum. Hunc vltimum vsum, aliaque naturalis historiae commoda indigitauit in praefatione *noster auctor.* Magna quoque voluptas capitur ex harum rerum studio, id quod summum vitae humanae societatique communi adfert emolumentum. Interim nulla debet disciplina supra *terminos suos* extendi, sed *iustis cancellis* circumscribi. Est enim et hic, vt in omni vita, apprime hoc vtile, *ne quid nimis.* Ego in his subsisto. Vale *lector humanissime*, et nostris faue conatibus! Dab. in academia Salana d. XXXI. Ianuarii A. R. cIↃ DCC LXI.

PRAE-

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

R*Erum Naturalium, aut Physicae notitiam ad cognoscendum Sapientissimum Vniuersi Conditorem, Deum, et bene degendam vitam humanam summe necessariam esse existimo. Quare vulgare illud Philosophantium axioma:* Vbi desinit Physicus, ibi incipit Medicus, *imperfectum esse puto. Quamuis facilis concedam, quod Physica ad Medicinam rite discendam maxime necessaria sit; negari non poterit, quod Oeconomiae, rite institutae, firmum fulcrum sit; et ad alias vitae partes maxime requiratur.*

Ponam

Ponam itaque ſequens axioma: Vbi deſinit Phyſicus, ibi incipit Chriſtianus, Theologus, Medicus et Oeconomus. *Quod autem Naturae cognitio homiui Chriſtiano ſumme neceſſaria ſit, is facile perſpiciet, qui cauſſas, cur Deus hominem creauerit? certo iudicio ponderabit. Inter quas, illa haud minima eſt; vt Creatoris omnipotentis et Sapientiſſimi creaturas inquirat, contempletur, admiretur, eumque diligat et laudet. Quod de ignorata Natura aut Creatura minime dici poterit.*

Hic Dei, in creandis creatisque hominibus, finis, cum a nullo contradictus ſit, non video, cur tantopere illae hypotheſi nos opponere velimus, quae in Luna ac Planetis, vaſtiſſimis corporibus, homines viuere docet. Cum tamen haec corpora (1) a nobis longe diſtent, ita quidem, vt nudis oculis ea contemplari nequeamus: (2) ſimilem terrae noſtrae (ſi per tubos obſeruantur) faciem referant: (3) Si a rationalibus hominibus inania ſtatuantur, ſequeretur, haec fruſtra a Deo creata eſſe, nullumque vſum habere, (quod tamen nemo credit) quia nemo exiſteret, qui illa corpora, et in his alia minora, admirari poſſit: (4) ſi vero mundos eſſe ſtatuantur, Omnipotentiſſimi Creatoris poten-

tentia magis extollatur: (5.) Sacro codici minime repugnet.

Sed obiiciet quis: Optimos Physicos, saepissime Naturalistas aut Atheos euadere. Cui respondeo: Nullum verum Atheum, a condito orbe, ad hoc vsque tempus (qui non in animo conuictus, Deum existere, haecque omnia creasse) unquam fuisse. Cum tamen Summus Deus hoc principium omnium gentium mentibus indiderit, ne quidem barbarorum animis exceptis. Si vero quidam sunt, qui dictis aut scriptis Deum esse negent, illos hoc minime credere puto; sed ab illis fieri, vt ingenii et rationis acumen in defendenda in existentia Dei ostendant, et paradoxa dixisse videantur; vel Deum misericordem et clementissimum sibi persuadentes, ut maiorem scelerum flagitiorumque licentiam sibi tribuant. Si vero praeter opinionem veri Athei, Deum haud existere firmissime credentes, dantur, illos ipso diabolo, (qui Deum credit, et contremiscit) pejores esse, pronuncio.

In Theologia Naturalis Historia perquam vtilis est: quia similia, Christianorum morti, resurrectioni etc. adcommodatissima praebet, v. gr. Flores et aquarum bullae, *huius vitae vanitatem,* Papilionum mors et suo tempore illorum reuiuiscentia *corporis*

ris

ris nostri post vltimum mundi diem resurrectionem optime adumbrant. Similia, ex Naturali Historia desumta, ipsum Sanctissimum Numen in Libro Sacro nobis offert. Ies. Cap. I. 3. *et variis aliis locis: et omnium Seruator saepius. Omitto vsus reliquos Physices in Theologia.*

Damna vero, ex physices ignorantia orta, varia sunt: quorum vnum saltim commemorare volo, nempe: Ante aliquot annos, in certo germaniae loco (cuius mentionem non faciam) maxima annonae caritas incolas valde torquebat: eo vero tempore, cum Sol, ex fossa quadam cretacea, aliquot milliaria ab illo loco distante, aquam cum creta in auram traheret, et suboriens ventus per tot milliaria in hunc locum forte deiiceret; statim Clericus (in physica hospes) Deum singulare quoddam miraculum et gratiam in illum locum contulisse, et cum vento farinam, a coelo delapsam, ad pinsendos panes suppeditasse, (quod per coruos Eliae Fatidico, 1. Reg. XVII. *fecerat) autumans, omnes conuocabat, et vt panes pinsant, adhortabatur: cum vero his panibus nemo frui posset, veteri farinae immisceri iussit. Quibus factum est, vt multi post aliquot horas vitam cum morte commutarent.*

Prae-

Praetereó innumera et inaestimabilia in Medicinam et Res familiares, vulgo Oeconomiam, redundantia commoda: At quorundam Medicorum superficialem physices tractationem ac notitiam, et in indaganda Natura, inexcusabilem negligentiam (a) culpo. Cum tamen Medicis optima, Naturam inquirendi occasio sit, vt operam, studium, diligentiam, ingenium et iudicium in Anatomiam, Botanicam, Chymiam, Mineralogiam etc. conferant. Quid enim optabilius, quid praestantius et iucundius, quam Medicorum inuestigatio Naturae, obseruationum collectio, earumque typis expressa communicatio? ex quibus hae vtilitates: (1) vt rerum varietates enumerentur, miraque Dei sapientia innotescat: (2.) Eruditus orbis harum rerum notitiam acquirat, et breui totius orbis Naturalis Historia (b) colligi possit:

(*a*) Ego iam in praefatione de hac negligentia dixi, quae semper culpanda est.

(*b*) Ego vero in posterum tentabo, quid humeri praestent, vti ex infra, ad calcem nempe libelli, dicendis patebit. Optandum summopere esset, vt *physicorum quisque* sui, quem incolit, loci naturali historiae explicandae *debitam curam*, et vel *otium* saltem *impenderet*. Sic ego crediderim, singulos ideo *omni neglecti officii culpa vacaturos*, et quod maius, posterisque adcommodatissimum, *naturalem totius Germaniae*

possit: (3.) *quaeuis terra atque regio suas naturales diuitias noscat, inque vsum vocet.* (c)

Magnae enim sunt Naturae diuitiae, quamuis plurimum adhuc absconditae, et incolis ignotae. Talem diuitiarum suarum ignorationem in conterraneis suis hac cum expressione deplorat Encelius: O Patria dilectissima, si tuas diuitias nosceres! *et idem Autor* Lib. III. de Re Metallica, *cum Misniae vrbis incolae, iaspide spadiceo pro silice ad eliciendum ignem vterentur, exclamabat:* O sancta simplicitas Germanorum! *Ex eadem caussa, nempe mineralia et fossilia cognoscendi distinguendique inscitia, germanicum illud Metallicorum prouerbium ortum est:* Man wirft oft einen Stein nach

maniae historiam breui perfectissime *conditum iri.* Magnatum vtique gratia magnum ad id opus summe esset necessaria, verum dolendum, *rariorem* nostris in regionibus Magnatum *gratiam* esse ad haec instituta, *omni laude maiora*, subleuanda. Doctissimarum societatum collegia variis constituta locis historiam naturalem nostro aeuo ad magnum perfectionis gradum extollunt, quod nunquam non *omni laude* celebrandum.

(c) Hoc omnino esset non regionis solum *Serenissimo*, verum *omnibus* etiam *subditis vtilissimum.* Dici plane non potest, *quantus fructus ex hac notitia in communem societatem*, et *res familiares* sit *redundaturus.*

nach einer Kuh, da der Stein mehr werth ist, als die Kuh.

Sed quorſum vagor? video enim, me praefationis limites tranſire: quare hic ſubſiſto, ad agrum noſtrum me conuerto, et de libelli huius ratione quaedam TIBI monebo: (1) me hanc oryctographiam in curioſorum, inprimis vero Ienenſium vſum (d), ſcripſiſſe: (2) hunc laborem minime perfectum eſſe, autumare; quia in tanto breui temporis ſpatio, quo Ienae, ad ſtudia medica incumbens, commoratus ſum, perfectum opus colligere (e) non potui; ſed me

(*d*) Id ipſum eſt, ob quod et ego hunc libellum *omnibus Ienenſibus, hiſtoriae naturali ſtudentibus, tantopere commendatum eſſe* efflagito, vt illum *omnibus huius generis libellis* merito *anteferam.*

(*e*) Dn. auctor milleſimo ſeptingenteſimo decimo quinto, ſexto et ſeptimo annis in *celeberrima hac academia*, quae *optime floruit per duo ſecula*, vtrique medicinae ſtuduit, per tres annos, veluti a viro, *fide digno*, relatum accepi, ſimul *mineralis naturae corpora ſagaciſſime ſcrutatus indeſinenter collegit*, qua de cauſſa contigit, vt tandem anno huius ſeculi viceſimo hocce ingenii ſpecimen prodierit. Eo tempore, quo hic vixit auctor, rerum naturalium maximus fuit *aeſtimator ſolertiſſimusque ſcrutator*, quod ipſi adhuc hodie *magno* eſt *decori.* Quilibet ſanus, cui naturae humanae perfectio cognita eſt, intelligit, hominem ad laborem variumque opus efficiendum

me Rerum Naturalium Inquiſitoribus ad quaerenda foſſilia viam ſaltim monſtrare (f), quam ipſe calcaui: (3) *me* Excellentiſſimi *D. IAC. BAIERI methodum, quam in* Oryctographia ſua Norica *propoſuit, tamquam naturae conuenientiſſimam, ſequutum eſſe:* (4) *me hunc libellum, tamquam* Hiſtoriae Metallicae SALFELDENSIS Prodromum, *in lucem edidiſſe, et curioſos, qui forte de hac materia obſeruationes habent, vt mihi humaniſſime communicent, ea, qua par eſt, humanitate atque obſeruantia rogare (g). Interim vale L. B. et ea, quae Tibi diſplicent, ſolide et amice corrige; vale atque faue!*

Dabam Suſati in Gueſtphalia,
die 22. Febr. MDCCXX.

dum eſſe natum, quemadmodum aues ad volatum, piſces ad natatum, ferae ad curſum. *Laborare oportet omnes*, qui *fortunate beateque viuere*, et *recte valere*, cupiunt.

(*f*) In hoc ſane Dn. auctor ſe ſiſtit *virum ingenuum.* Tibi, amice lector! is ipſe *viam* monſtrauit *certiſſimam*, quam nunc *facili* calcabis *negotio in non poenitendum tuum commodum.*

(*g*) Num hiſtoria metallica Salfeldenſis lucem adſpexerit, an non? mihi ignotum eſt. Numquam vidi, numquam audiui, illam prodiiſſe.

ORYC-

ORYCTOGRAPHIAE IENENSIS

CAPVT I.

DE *SITV ET NATVRA AGRI IENENSIS.*

§. 1.

CElebris per orbem Academiae Ienensis AGER in Thuringia situs est: quae versus Solem Orientem Misenos: Occidentem vero Cattos: ad Meridiem Francos, et Septentrionem Saxones Inferiores, vicinos habet. Ceterum Ienae, in medio agri nostri, Poli eleuatio est LI. grad. et 2. minut.

§. 2.

Omitto vocis *Iehna*, Ienae originem et deriuationes varias, Vrbis conditores incertos, et Aca-

 demiae

demiae Fundatorem, Nutritoresque Serenissimos ac Munificentissimos: de quibus Scientiae Naturalis Cultor! in hoc libello non agam; sed ad Historicos, Geographos etc. curiosum Lectorem remitto. Tamquam in Compendio autem de his egit M. ADRIANI BEIERI *Geographus Ienensis*, *Ienae 1663. in 8tau.* typis expressus: cui etiam adiici potest eiusdem BEIERI *Architectus Ienensis*, *Ienae 1681. in 8tau.**

* Hodiernus academiae status *optime depictus est* in libello: *Ausführliche Nachricht von dem gegenwärtigen Zustande der ienaischen Academie*, cuius *auctor fuit* b. BASILIVS CHRISTIANVS BERNHARDVS WIEDEBVRGIVS. Sine *auctoris* nomine prodiit a. 1751. Ienae sub forma, quam adpellant quartam.

§. 3.

SOLVM nostrum in diuersis agri partibus multum variat, tam fertilitate, quam natura glebae, quod in variis viciniae etiam locis obseruaui. Circa oppida enim Orlamundam et Calam*, ager arenosus est: Circa pagos *Mauen* et *Schöps*, pauca lutosa terra mixtus: Ienae contra, maiori luti atque nigrioris terrae copia: ad pagum vero *Kötschau*, haud arenosus est: in Vineis autem valde lapidosus, ita quidem, vt plures lapillos, quam glebas cerneres. Praeterea haec soli mira Varietas in figulorum fodinis animaduertitur: in quibus strata super strata, colore et materia inter se diuersa, in conspectum veniunt. Hoc solum, quamuis non admodum pingue sit, agricolarum hortulanorumque cultura et stercoratione corrigitur:

gitur: quidam curioſorum vero hortos ſuos nitro foecundiores reddunt. Ex quibus facile patet, quod non vna eademque fertilitas, in omnibus agri partibus eſſe poſſit.

* *Auctor* territorium *Ienenſe* nimis extendit. Oppida ORLAMVNDA et CALA proprie ad noſtrum non pertinent territorium. Omnia loca, quae *Ienenſe* complectitur territorium *ſciagraphice* denominauit *vir clariſſimus* GOTTFRIED ALBINVS DE WETTE in *dem Euangeliſchen Iena*, et quidem in *parte ſecunda*. Hic liber prodiit Ienae a. 1756. in octau.

§. 4.

Quemadmodum hic ager fertilitate et natura glebae variat: ita etiam montibus praealtis, vallibus profundis, ſyluis umbroſis, paſcuis humidis ac virentibus, agris planis et aliquando decliuibus, vineisque apricis et Solis radiis oppoſitis, varius eſt. Quae omnia Sala fluuius, riuulique minores inter ſe diſtinguunt, et ductu irregulari ac flexuoſo, inſulas et ſemiinſulas componunt.

§. 5.

MONTES praerupti, herbarum optimarum fertilitate nobiles et amoeni, arborum fruticumque vero vt plurimum, ſteriles, et breuiſſimo gramine obſiti, Medicis, Reique Herbariae Studioſis magnam delectationem, maiusque commodum afferunt. Hi montes inprimis *Wintbergus* et *Gleisbergus* inter loca, in Germania medicaminum feracia, a VALERIO CORDO in *variarum obſeruationum ſylua*, numerantur: qui

 etiam

etiam in *Hist. de Plant. Lib. II. Hausbergi* nostri mentionem facit. Ceterum de herbarum plantarumque vbertate, tam in montibus, quam in toto Ienensium agro *Ruppii flora Ienensis*, a me edita, breui multo auctior atque emendatior edenda, testatur. Illi vero montes, quorum iugera ita coniuncta sunt, vt cavitatem concauam efforment, vocis imagines reddunt duplicatas aut triplicatas: quae vocis collectio et reflexio, *Echo* appellatur. Has vocis duplicatas triplicatasque imagines, in regione molae papyrariae, ante portam St. Iohannis, et in campo *das Lerchenfeld*, ante Zwezensem portam, clamantes cum delectatione audiunt.

§. 6.

Summa montium cacumina nubes pluuiales, in stupendam molem collectas, et in inferiore aëre, ob ponderis molisque grauitatem nimiam, profunde dependentes, disrumpunt, magnamque inundationem agris et vineis inferunt, cum hominum animaliumque periculo. Quales Anno CIↃCC. die XXVI. Maii *Ienae*, *Apolledae* et *Kappendorffii* disruptae sunt. Harum aquis, teste *Fabritio in orig. Saxon.* Leutra riuus et Sala fluuius, ita intumuerunt, vt *Ienae XXXV.* homines in aquis perierint. Anno CIↃIↃLII. IV. Cal. Aprilis, ad montem *Mägdesteig*, vulgo *Mädesteig*, nubes pluuiales allidebant: quarum aquae in Suburbio ienensi, in platea *der Steinweg*, non nullas ciuium aedes magno cum impetu euertebant. Praetereo

reliquas

reliquas hiſtorias. Minorum autem nubium rupturae quotannis fere contingunt.

§. 7.

Cauernae quaedam in montibus conſpiciuntur, quarum notiſſima, quae ad viam, qua itur ad pagum *Wöllnitz*, eſt, et *das Teuffelsloch*, vel *die Teuffelshöhle* nominatur, mendicorum ſaepius domicilium et diuerſorium. Maioris commodi autem illae ſunt, in quibus cereuiſiae, lac et vina etc. a calore aeſtiuo optime defenduntur: quales Rodae, aliisque in locis occurrunt. Anguſtae et paruae contra, quae in vineis ſunt, in quibus, quando vuae matureſcunt, excubiae aguntur.

§. 8.

SYLVAE PINIFERAE ſingulis annis caeduntur: quarum maiores ſunt, quae Reichmannsdorfium, Salfeldiam et Rudolphopolim cingunt. Ex his arbores caeſas, in veris initio, copioſiſſima niualis aqua, ex ſyluarum montibus collibusque in agros, valles et Salam rapit. Quaedam huius ligni pars ad conſtruenda componendaue aedificia aptatur, vegetioribus ſalicis vel betulae ramis, funis inſtar contortis, in faſciculos ponsis nauigalis forma, combinatur; quos faſciculos *Bauflöſſe* nominant, et ad remotiora loca a Sala flumine venales vehuntur: altera vero pars, ad coquendos cibos et fornaces calefaciendas, in partes minores, quas *Flöſsſcheit* appellare ſolent, diuiditur, Salae fluuio iniicitur, et ſenſim a flumine ad varia loca propellitur: reliquum ligni carbonarii,

die Kohlbrenner, coaceruant in ſyluis, luto tegunt, et in carbones exurunt, vt fuſioni metallorum, pharmaceutico uſui et domeſtico inſeruiat. Haec ligni copia tanta ac talis eſt, vt non ſolum Salfeldiae, Rudolphopoli et Ienae noſtrae largiſſimum cumulum ſuppetat; ſed etiam Numburgum, veteribus Nouemburgum, Leucopetra, Martisburgum atque Hala, praeclarae vrbes hac ligni abundante copia fruantur.

§. 9.

Ex arboribus, quae bene virent, et pice tument, *pix* elicitur: cuius optimos grumos formicae ſylueſtres in terram deferunt, colliguntque in aceruum. Hic picis cumulus ſaepius quatuor pedes ſub terra latet, quem ſubterraneus calor ita fouet, vt in maſſam confluat, et volatiliores humidioresue particulas expellat: qui in fruſta magna, ex profunda terra eruitur, a mulierculis ruſticorum *pro thure venditur*, et *thus Thuringorum* appellatur.

§. 10.

Mirabilis eſt AGRORVM fertilitas et frumentorum prouentus, quamuis campi montibus, ſyluis, vineis, vallibus et pratis interiecti ſint. Immo in quibusdam montium radicibus et iugis tales agri ſunt, vt equi cum tauris vix arare poſſint. Non contemnenda eſt in HORTIS olerum, pomorum, pyrorum, ceraſorum, prunorum, milii etc. largiſſima vbertas, et animalium, quae ad cibos apta ſunt, haud exiguus numerus: quibus

quibus fit, vt Ienae rerum, quae ad victum pertinent, pretia multa minora sint, quam in aliis vrbibus, et Germaniae Academiis *.

* Cuius interest victus et rerum, quae hunc circumstant, rationem scire, is adeat b. WIEDEBVRGII, *viri doctissimi*, qui nimis mature orbi erudito ereptus fuit, citatam huius academiae relationem. In capite decimo tertio oeconomica, victum spectantia, *egregie* delineauit.

§. 11.

In VALLIBVS et PRATIS quadrupeda pascuntur, et anseres. VINEAE vuas proferunt, ex quibus vinum fit, de quo in adiecta, *de Vino Ienensi* ad illustrem G. W. WEDELIVM Epistola, fusius agam *.

* *Haec epistola* de *vino ienensi* superflua visa est, vnde factum, vt omissa et prelo non commissa fuerit. *Parum litterarum formis dignum* in ea protulit *auctor*, b. GEORG. WOLFGANGVS WEDELIVS, *medicorum sui aeui celeberrimus* ac *praestantissimus*, *ienense vetus vinum* certe *maximi fecit*, *aegrotisue* data opporturnitate multopere *commendauit* ac *collaudauit*: sed *hodiernum ienense* aliarum vicinarum regionum vina *qualitate perfectiori non superat*, quam ob rationem *paucis* hic opus est. Inter alia scribit *auctor*:

Praeter glastum in Thuringia nostra vitis diligentissime culta est, quod ex veterum cognoui scriptis. Nolo hic de vitis cultura atque natura, vino eiusque varietatibus, vsu et noxa agere, quum THEOPHRASTVM ERESIVM, PLINIVM, CASSIANVM BASSVM, IO. BOD. A STAPEL, GVIL.

GVIL. GRATALORVM, PAMPHIL. HERILACVM, TOB. WHITAKERVM, PHIL. IAC. SACHS A LEWENHEIM, *aliosque de hac materia ſcripſiſſe cognouerim, ne acta agam, et dicta dixiſſe videar: nec vinum ienenſe a nocentis calcis ſuſpicione vindicabo, quum id ab Excellentiſſimo ac Experientiſſimo* IO. HADRIANO SLEVOGTIO, Anatom. Chirurg. et Botanices in academia ienenſi Profeſſore, Fautore omni officiorum genere colendo, *in* proluſione *ad inauguralem diſſert. de* calamo aromatico *factum eſſe ſciam; ſed de vitis in agro ienenſi crebriori copia et vini vbertate, quantum ex veterum litteris ſcio, dicam.*

Hac in epiſtola *paucis plagellis conſtante*; dicit SCHÜTTEVS etiam de vineis circa RVDOLPHOPOLIN, CALAM et ERFVRTVM in agros mutatis.

Ibidem ex alio ſcriptore adducit verba:

Iena eine berühmte Stadt du biſt,
Von Wein dein Nahm gemachet iſt.

De vinaria cella, quae in ſuburbio ienenſi eſt, vulgo der FÜRSTENKELLER paucula dixit, *non adeo ſcitu neceſſaria.*

De oppido VINARIA proxime huic ſapientiae emporio adiacente ita locutus eſt:

Quamuis vero plurimae vineae Ienae ſemper fuerint, vinum tamen fere omne Vinariae venditum eſſe quidam ſtatuunt, vrbemque vinariam a vini mercatura nomen germanicum aeque ac latinum accepiſſe putant: quia WEIMAR *tantum eſt, quam* WEINMARKT, *et* Vinaria *tantum, quam* vini area *vel* vini forum *aut* emporium. *Veriſſima certe haec nominis deriuatio eſt; cur vero Vinaria vini emporium fuerit? nemo explicat.*

Haec

Haec itaque potiora ſunt, quae dicta illa epiſtola comprehendit, vtpote quae hac acceſſione tamquam in *epitome* ac *nuce* tibi *honoratiſſime lector!* exhibere volui. Scriptores quidam hac in epiſtola adducuntur, quorum nominatim fit mentio in indice auctorum.

§. 12.

Haec agri noſtri mira varietas, loci amoenitas dici meretur, quam SALA flumen et ceteri RIVI iucundiorem reddunt. De amoenitate, quae circa Ienam eſt, dudum *Iohannes Stigelius Lib. III. et V. Poematum* cecinit:

Hinc, tua ſi piguit pridem bona noſſe, futuro
Tempora laeta tuum proſpice IENA decus.
Valle iacens ima, per apricos vinea montes,
Regna metens fauſti nominis omen habes.
Legit in hoc etiam Chriſtus praeſaepe receſſu,
Vnde ſonet vero gloria vera Deo.
Hos quoque lecta Deo eſt per amoenos vinea montes
Eluſis vuam frugibus vnda legat. etc.

Et in *eodem libro*, in *Proſopopeia Volucrum* de ſyluis noſtris:

Qui nemora haec tranſis et culta vireta Viator,
Atque haec herboſi cana ſalicta ſoli.
Garritusque audis auium, linguasque ſonoras,
Et ſparſum docto gutture dulce melos.
Contemplare animo, quid ſimus et vnde volucres,
Hinc aliquid mentem quid iuuet eſſe poteſt.

Vivi-

Viuimus immunes curarum et nescia culpae.
Turba piae volucres innocuumque genus etc.

Ad collegam suam Lib. III. scribit:

Per varias rupes, per tot ludibria venti
Sperata, montis Victor in arce steti.
Et gaudens patriae thesauros cernere terrae,
Subiectas oculis sum licitatus opes.
Thessalia miretur, miretur Itala Tempe
Ebria pegaseis Musa Maronis aquis.
Pax modo non desit, frugali candida vitae
Hic mihi et hic Musis non aliena domus.
Hic ego Pegaseas Christi seruire Camoenas:
Hic faciam numeris astra sonare meis.
Quod si etiam mecum mi Victorine fuisses.
Iam poterat penitus IENA placere Tibi.

Omitto aliorum Versus et Epigrammata consulto *.

* Vid. *clarissimi* HENRICI WOLFII *oratio metrica de laudibus Ienae in illustri societate latina* recitata, et ibidem a. 1755. in 4. emissa in lucem. *Inprimis* confer. b. WIEDEBVRGII praestans scriptum, vbi capitis primi §. 8. p. 5. seqq. amoenitas huius loci *graphice* descripta est.

§. 13.

Haec *de situ et agri Ienensis* proferre volui, quamuis hoc caput, ad fossilia et minerale regnum minime pertinere arbitrentur alii. Cum vero fossilia et mineralia in agro lateant, de agro, in quo reperiuntur, quaedam dixisse, haud absurdum et inconueniens fore putaui.

CAPVT II.

CAPVT II.

DE SALVBRITATE AERIS IENENSIS.

§. 1.

Cum hactenus quidam de Salubritate Aëris noſtri dubitauerint, cauſſa fuit, cur *in hoc foſſilium libro* aërem Ienenſem ab inſalubritate vindicem. Quia vero ad inſtitutum meum non pertinet, obiter et breuiſſime de aëre agam. Vt autem aëris noſtri temperatiſſima ſalubritas euidentior probari poſſit, qualitates aëris noxii varias, et ſalubri noſtro aëri contrarias paucis recenſebo, ita vt ex contrariis iuxta ſe poſitis argumenti veritas clarior eluceſcat *.

* Vide *celeberrimi* WIEDEBVRGII in medium productam commentationem, in qua etiam p. 5. §. 7. de *ſalubritate aëris ienenſis optime tractat.*

Medica, quae in ſequentibus §phis adducit *doctisſimus auctor*, principiis BOERHAVIANIS et *recentiorum* ſunt conſentanea, nihil ergo habeo, quod circa ea moneam.

§. 2

Humidum aërem aquoſis exlationibus, craſſioribus impurioribusque moleculis grauidum eſſe; aëris aetherem humiditate ſua inuoluere, et quaſi

quaſi extinguere: craſſioribus vero particulis grauiorem atque noxiorem reddere, veriſſimum eſt. Quibus fit, vt aëris elaſticitas impediatur, cuius pori relaxentur, vapores noxii per apertos poros ac pulmones interiora penetrent, ſanguini, lymphae ac ſero commiſceantur: vnde febres, grauedo, diarrhoea ſeroſa etc. etc.

§. 3.

Siccus contra *aër* optimos corporis ſuccos exſiccat, cutim corrugat, et reſpirationem difficiliorem reddit etc. qui etiam multorum morborum cauſſa eſt. Ita enim *calidus nimis aër* humores in vehementiorem motum rapit, fluida ſanguinis ſubtiliora ac optima, remanentibus craſſioribus particulis, conſumit, ſanguinemque ſpiſſiorem reddit: ex his virium proſtratio et laſſitudo ſumma, reſpiratio difficilis, inappetentia, ſitis immodica, obſtructiones, inflammationes, putredo, gangraena, ſphacelus et febres variae etc.

§. 4.

Frigidus vero *Aër* liquores corporis coagulat, a peripheria verſus interiora repellit, poros obturat, inſenſibilem tranſpirationem impedit: unde tuſſes, raucedo, catarrhi, perniones, obſtructiones etc.

Subſiſtens et *quietus aër* ad putredinem valde procliuis, facile corrumpitur, et quia motu neceſſario caret, magis magiſque noxia colligit et retinet effluuia: quo virulentum ac peſtiferum miaſma

miasma corpori nostro cum aëre se insinuat, et innumera mala suscitat.

§. 5.

Motus aër, et *temperatus*, qualis in agro ienensi est, vapores noxios et effluuia, quae nos ambiunt, dissipat, calorem temperat, faciliori respirationi inseruit, etc. et sic sanitati optime conuenit, illamque conseruat. *Quod vero aër ienensis motus et temperatus sit, in sequentibus §. paullo fusius probabo.*

§. 6.

In agro nostro montes praealtos et valles profundas esse, praecedens docuit caput. Constat quidem inter omnes, in profundioribus, et a montibus clausis vallibus aërem multo grauiorem et corruptiorem esse, quam in montibus et agris planis, partim ob longiorem a summo coelo in vallem imam aëris conum, vel columnam maiorem, quae columna, quo longior, eo grauior est, partim ob humiditatem, frigus et motum aëris sublatum, quia ventis aditus non patet, vt effluuia putrida dispergant.

§. 7.

Longe aliter autem sentiendum de vallibus nostri agri, montium iugis haud clausis, sed apertis, ita, vt ventis transitus concedatur: quarum insignior illa, in qua celeberrimae Academiae Ienensis Sedes est, quae versus quatuor mundi plagas, satis spatiosas aperturas habet, per quas venti

vrbem

vrbem adſpirant, nempe *Eurus* ab oriente Sole, per campos Zwetzenſes, Cunizenſes, Loebſtaedtenſes, *Lerchenfeld*, prata Loebſtaedtenſia etc. atque Inſulam: *Zephyrus* ab Occidente per varia montium ſpatia et vineas: *Boreas* ſ. *Aquilo* a Septentrione, per vallem ſat amplam *das Mühlthal*, agros ac hortos vrbi proxime adiacentes: *Auſter* denique a Meridie, per oppidorum Lobdae et Calae, pagorumque agros, ac paradiſum maiorem et minorem. His accedit, quod venti ad montes ſaepius allidant, colligantur, et ſic vnita vi fortius vrbem perflent.

§. 8.

Hi venti ſinguli, vel obſtantibus montibus impingentes, effluuia noxia optime diſpergunt et ſecum rapiunt: quibus ſublatis, aër purior atque ſalubrior fit; quem aëris motum ſenſim auget Sala fluuius: quod in ſequenti III. Cap. §. 4. experimento quotidiano probabo, varia effluuia ex aëre rapit atque propellit. Quid obſtat, cum IO. SCHREYERO dixiſſe: *Aquam ventorum materiam eſſe.* Id quod experimento phyſico demonſtrari poſſet euidentius. Iam patet ex praeſuppoſitis et conceſſis §. 5. *temperatum et ventilatum aërem*, qualis ienenſis eſt, §. 7. et 8. *reſpirationem faciliorem reddere, et ſic per conſequens pthyſicorum pulmonibus perquam ſalubrem eſſe.* Vlterius inquirenti, eo perſpectior adhuc erit aëris noſtri ſalubritas, quo diligentior eſt in inquirendis aëris corrupti damnis et natura: quod non ſiccus ſit nimis, neque humidus, frigidus aut calidus, de quibus ſupra.

§. 9.

§. 9.

Haec cum iam ratione probata ſint, prouoco ad experientiam. Anno quidem MDLXXVIII, Ienenſium Muſarum Sedes ad Salfeldiam Vrbem transferebatur, ob metum peſtis circa Ienam graſſantis: quae peſtis tamen, ſi veterum hiſtoriis fides habenda, Ienae non ſaeuiit, nec fuit. Manſiſſet haec Salfeldienſium vrbs, Chori Apollinei domicilium perpetuum, ob vrbis amplitudinem regionisque amoenitatem, et quod aër etiam ſalubris eſſet; ſed cum quidam Studioſorum in petulantiam inciderent, et male nominata verba in metallicos coniicerent, quorum tum temporis copioſior numerus Salfeldiae erat, vt fere DCCC. numerarentur, metallici rapiebantur in furorem, ita, vt omnem occaſionem, vindicandi iniuriam, quaererent: quibus factum eſt, vt Studioſi aeque ac metallici, noctu gregatim per plateas armati incederent. Studioſi inſtructi gladiis erant, metallici contra ſecuribus et malleis metallicis. Quoties Studioſorum numerus metallicos offendebat, gladiis et ſecuribus ita ſe caedebant, vt ſemper vulnerati aut mortui in plateas procumberent. Cum itaque duos acerrimos hoſtes, in vna eademque vrbe, ſine caede et tumultu cohabitare, impoſſibile eſſet, Academiam in priorem vrbem, Ienam puta, transferendi ratio cadebat in deliberationem: quae translatio facta eſt anno ſequenti 1579. die 9. Martii.

§. 10.

Notatu dignum eſt, quod ſua memoria acci-

diſſe, optimae fidei, famae ac eruditionis Viri, IO. GVILIELMVS BAIERVS, *S. S. Theol. Doct.* et IOAN. IACOB. BAIERVS *Philoſ. et Med. Doct. in Academ. Altdorfina Profeſſores, Fratres germani, Rerum naturalium ſolertiſſimi Inquiſitores, Fautores omni obſeruantia colendi*, mihi retulerunt, peſtem Apolledae et circa totam Ienam, immo in pago Cluſwiza ſaeuiiſſe, ad Ienam vrbem vero non perueniſſe. Et, quod maximum eſt, illuſtri GEORGIO WOLFGANGO WEDELIO, *Med. Doct. Conſiliario Caeſareo, Ienenſium Hippocrate, et Praeceptore ſumme deuenerando*, teſte, ex locis peſte infectis quidam adueniens, et peſte laborans aeger, clam per aliquot dies in vrbe Iena commoratus eſt, nullo id ſentiente, ſuſpicante aut peſte corrupto. Tantum obiter ad probandam aëris ſalubritatem *.

* *Nimium* tribuit auctor ſalubritati noſtri territorii. *Salubritas* quidem *magna* eſt, *inſignisue*, ſed non adeo excellens, vt morborum perniciofiſſimis, videlicet febribus exanthematicis ſemper reſiſtat, quippe quae *non numquam, licet perraro*, Ienae graſſantur *epidemice. Huic itaque loco accidit rarius id, quod aliis locis ſaepius accidere ſolet.* Ceterum etiam *verum eſt, nullos* morbos *endemios, qui propriae ita dicuntur, ibidem deprehendi.*

CAPVT III.

CAPVT III.

DE AQVIS MINERALIBVS MEDICAMENTOSIS ET CVRIOSIS.

§. 1.

AB aëre ſalubri ad Aquarum largam copiam, qua Sapientiſſimus Naturae Artifex, Deus, agrum noſtrum egregie locupletauit, progreſſum facio.

§. 2.

SALA fluuius, magnitudine conſpicuus, in monte Pinifero, vulgo *Fichtelberg*, oritur, et ex fonte exiguo promanat: qui, dum multas vrbes et vicos praeterlabitur, et ductu flexuoſo profluit, varios amnes et torrentes abſorbet, quales ſunt:

Wieſenthauius inter Ziegenrüccam et Salburgum:

Selbiza prope Lobenſteinium:

Loquiza infra Meichichtam:

Schwarza inter Salfeldiam et Rudolphopolin, vulgo Rudolphſtadium, ad pagum *Schwarza*:

Arula vel *Orla* apud Orlamundam oppidum:

Roda prope Rotenſteinium:

Leutra vel *Leitra* in ſuburbio Ienenſi:
Gembda haud procul a pago *Wenigeniena*:
Ilma infra Camburgum apud Heringam:
Gyſella et *Clia* Martisburgi:
Salza Salzmündae:
Schleiniza Frideburgi:

quibus abſorptis fit, vt Sala, quo longius voluitur, eo maior et profundior fiat, vt non ſolum piſcatorum lintres, trabes ad conſtruenda aedificia, *Floſsbauhölzer*, (quod in Cap. I. §. 8. fuſius commemoraui) et aſſeres; ſed etiam naues minores vehat, quibus Halae Magdeburgicae Sal, ibi coctum, et emtum in diſſita loca portatur.

§. 3.

Flumen hoc, agrum noſtrum per medium diuidit, et fluxu haud celeriori progreditur: ante loca vero, in quibus ad colligendam augendamque aquam, obſtacula quaedam poſita ſunt, vulgo *das Weehr*, vt molendinas maiori vi atque impetu moueat, tanta incredibili leuitate fluit, vt oculis vix iudicari poſſit. Hic fluuius inter pratum amoenum, *das kleine Paradieſs*, et locum ſpatioſum, *die Landueſte*, in duo brachia diuiditur: quorum vnum recta via, verſus pagos *Camsdorf* et *Wenigeniena*, profluit; cui brachio longus ſaxeus pons impoſitus eſt, qui pagum *Camsdorf* et Ienam coniungit: alterum vero, ſuburbium Ienenſe tranſit, molas verſat, Leutram amnem, ex vrbe fluentem, recipit, et e regione pagi *Wenigeniena* cum priori brachio iungitur. Illud ſpatium

tium, quod duobus fluuii ramis inclusum est, Insula, *die Insel*, appellatur.

§. 4.

Non procul a Numburgo vrbe, (Veteribus Nouemburgum et *Neuenburg* dictum) Sala in gyrum flexuosum et tortuosum ducitur, ita, vt ad ripas valde allidat, aëremque vehementer commoueat, et secum rapiat, inque gyrum verset: quibus fit, vt nimbi, in primis pluuiales nubes maiores, si supra hunc gyrum veniunt, rumpantur, inque Salam et agros decidant. Hic Salae locus, ob vim disrumpendi, *die Wetterscheid* nominatur, et vrbs, *Naumburg an der Wetterscheid:* quam aëris commoti vim, ab aquae tortuoso fluxu, et ad ripas vehementiori allisu, ortam, ignorasse videtur GROITSCHIVS, quando in libro *de Salae fluuii descriptione*, MIRAM NATVRAM appellat.

§. 5.

Huius fluuii inaestimabile commodum, quotannis in accolas redundat, dum non solum aërem puriorem reddit, molendinas, molas serrarias, metallicas *Puchwerke*, conflatorias *Schmelzhütten*, officinas Smalti *Blaufarbenwerke*, pulueris pyrii *Pulvermühlen*, fullonicas, politorias, etc. versat, et officinis, ad hunc fluuium positis, Aluminatoriis, Vitriolicis, tinctoriis etc. magnum commodum affert, multaque onera vehit, prata et pascua irrigat; sed etiam numerosos pisces alit, nempe:

Salmones; quos olim eximiae magnitudinis, circa Salfeldiam piſcatores piſcati ſunt.

Coracinos:

Lucios: quales XVIII. ad XX. pond. ceperunt. Lucium vero XXV. *Meichichtae* non procul a Salfeldia captum eſſe, teſtantur veterum Scripta, in primis *Syluester a Lieben in Manuſcripto ſuo*, cuius nomen *Salfeldographia.*

Mullos:

Gobiones:

Carpiones: quorum nonnulli capiuntur, qui oua et lactes ſimul gerunt:

Truttas:

Turdos, ſiue *Globiones fluuiatiles.* Horum piſcium abundans copia in Sala occurrit, in primis vero Salfeldiae, quae talis ac tanta eſt, vt in varia loca vehatur.

Cobites barbatos, vulgo *Schmerle:*

Cobites aculeatos, vulgo *Steinbeiß:*

Thymallos:

Bdellas, apud Salfeldiam, fluuium vbique occupantes:

Fundulos:

Percas:

Rubellos, vel *Rubiculas:*

Merulas lacuſtres:

Alburnos:

Muſtelas ſiue *Murenas*, vulgo *Aalraupen*, quamuis rariſſime: quae non procul a Salfeldia, ſub petra quadam *Oberniziae* MDCXXI. fuere deprehenſae.

Anguillas: de quibus memorabile eſt, quod mihi

mihi piſcatores, ruſtici, metallici ac ciues Salfeldenſes narrarunt, quod cum lutra in hoc flumine, inter pagum *Obernizam* et *Weiſchwitzam* coitum celebrent: quod, an veriſſimum, et quomodo fiat? hactenus obſeruare non potui *.

* Piſces, quos exſiccatos *Ienae* in naturalium collectione *honoratiſſimi amici* conſpexi, fuerunt ſequentes: 1) *Perca fluuiatilis* minor, aculeis praedita, *Stachelparſs*, 2) *Coracinus*, *Karauſche* 3) *Mullus barbatus* ſ. *Barbus*, *Barbe*, 4) *Gobio fluuiatilis*, *Gründling* ſ. *Gründel*, 5) *Gobio barbatus*, *Schmerle*, 6) *Gobio aculeatus*, *Ellritz*, qui SCHÜTTEI *Steinbeiſs*, 7) *Carpio vulgaris*, *gemeiner Karpfe*, 8) *Cyprinus maculoſus*, *Spiegelkarpfe*, 9) *Lucius*, *Hecht*, 10) *Rubellus*, *Rothfeder*, 11) *Alburnus*, *Weisfiſch*, ſ. *Schneiderfiſch*, 12) Altera huius (*n.* 11.) ſpecies accolis *Altfiſch* nominata, 13) *Tinca*, *Schleihe*. Hos ſunt piſcati *haud procul Iena ad Ronneburgum*, et *artificioſe* ſiccauerunt. Inter illos piſces *memoratu dignos* vltimum numerum ſ. locum obtinebant ſiccatae *muraenulae*, *Neunaugen*, mas et foemina.

§. 6.

Sala in Salfeldenſi regione, prae ienenſi aliisque, multo maiori piſcium copia ſcatet, et piſces iam commemoratos, magno cum foenore piſcatoribus praebet: quare, pace B. Lectoris, paululum extra limites vagari liceat. *Propter hanc piſcium, in Salfeldenſi regione abundantem copiam, illos duos piſces, quos celebris Salfeldia vrbs, in inſigniis ſuis oſtendit, in inſignia poſitos eſſe, coniicio.* Quam opinionem confirmare videtur, ſtatua lapidea, a maioribus in murum Templi Salfelden-

feldensis posita: quae virum, pileum manu tenentem, altera vero manu piscem, referebat. Postquam vero tot secula aëris tempestatumque iniuriis exposita steterat, iam ex muro in coemiterium decidit atque fracta est.

§. 7.

Hanc statuam lapideam piscatoris, piscem cum deposito pileo tenentis ac offerentis, imaginem repraesentasse, probabiliter coniicio (1.) quia piscatoribus a multis seculis, a Senatu Salfeldensi, in Sala flumine certi piscandi fines positi sunt: quorum primus est, ad pagum *Tauschwitz* infra Caulsdorfium, vbi figura crucis petrae incisa conspicitur: alter autem finis, prope pagum *Schwarza*, vbi ingens lapis in flumine erectus est: (2) quia singulis annis, (quod adhuc etiam fit) stato tempore, nempe die Lunae post Dominicam Laetare, coram Senatu veniebant, et iuramento (vulgo corporale dictum) fidelitatem et obedientiam promittebant. *Fidelitatem*, quod alios non iuratos piscatores, ad piscandum admittere nolint, quodque pisces non alio, nec carius vendere velint. *Obedientiam*, quod Senatui, quoties huic lubitum fuerit piscari, omnes pisces Salfeldiae in forum piscatorium, *auf die Fischbänke*, venales proferre, et secundum illud pretium, quod a Senatu praescriptum erat, vendere velint. Alii contra hanc statuam, viri cuiusdam, vna manu pileum in Vogtlandiam, alteram vero halecem in Thuringiam, proiicientis effigiem esse, credunt. Sed cum fines in vrbe non sint, neque prope

eam,

eam, halecis et pilei iactus nimis longus foret. Haec hactenus ex antiquitate obiter.

§. 8.

Praeter piſcium abundantem copiam, fluuius hic aeque ac Schwarza amnis, *Aurum* vehit, de quo ſuo loco agam. Accolarum ex hoc flumine commoda, cum tanta atque talia ſint, non leuia etiam damna, quotannis huius fluminis facilis exundatio, agris inferre ſolet: quae inundationes tales fuere, vt pontes, et domos huic flumini proximas euerterint, confer. *Riuandri Chronic. Thuring.* et M. *Adriani Beieri Geographus Ienenſis*, aliique libri. Praetereo, quod ſaepiſſime homines incauti in hanc aquam praecipitentur.

§. 9.

Omitto reliqua, quae de Sala commemorari poſſent, v. gr. *Quod Druſus Romanorum Dux ad Salam occiſus ſit*, de quo conferatur *Strabo* et *Conradus Celſus de ſitu et moribus Germanorum*, qui hanc cladem ſequenti verſu complectitur:

Et Sala qui Druſi geſtat praeclara trophaea.

Sic etiam conſulto negligo reliquos verſus, et alluſiones variorum auctorum: qualem apud *Winſtrupium Lib. III. Epigr. p. 336.* legere mihi contigit et ſequens eſt:

Extra Ienam Sala: Intra Ienam Salus,
Sala Salam fluit extra Ienam nocte dieque:
Eſt intra Ienam nocte dieque Salus.

Sunt lenae multi iuuenes, qui nocte dieque
Potant, et dicunt, saepe bibendo, Salus.

cum ad Historiam Naturalem minime pertinere existimem, et in variis libris occurrant.

§. 10.

SCHWARZA *amnis* non procul a *Scheibe* et vico *Steinheide* profluit, Arcem Schwarzburgicam alluit, inter Salfeldiam et Rudolphopolin ad pagum *Schwarza*, Salam influit. Hic amnis non tam limpidam et perlucidam aquam vehit, quam Sala; sed multo nigriorem, quare Schwarza vel *Schwarze*, quod Germanis nigrum est, appellatur.

§. 11.

Commoda huius amnis sunt, vt verset molendinas, pascuis et pratis largam aquam suppeditet, pisces nutriat etc. Praeter haec commoda, multum auri vehit, et Sala flumine multo copiosius, ita quidem, vt plurimi hominum, aurum illud, quod in Sala reperitur, ex Schwarza cum aquis in Salam delatum esse, putent. Cui opinioni sententiam meam subscribere non possum, quia in Sala, supra Schwarzae in Salam influxum, aurum inueni, quamuis multo parcius. Quid de auro hoc dicendum, in *Capite de Metallis* proferam.

§. 12.

ORLA *riuus*, *die Orle*, prope Orlamundam in Salam labitur, paucos pisces alit, et parum Ochrae vehit. RODA *amnis*, Rodam, vrbem mino-

minorem per medium diuidens, molas malleorum ferrariorum verſat, demumque apud *Rothenſtein* Salam influit. De his non habeo, vt multa dicam: quare eos praetereo.

§. 13.

LEVTRA *riuus*, incolis *die Leuter* vel *Leiter*, ex duobus fontibus, nempe ex *Fonte Mali Bonique ominis*, vulgo *der Hungerborn*, et altero *der Naſenborn*, in valle *Mühlthal* oritur. Hic amnis, ex hac valle profluens, molam papyrariam et reliquas molas verſat, inque duo brachia diuiditur: quorum *minus* et *rectum* verſus *Lotterborn*, vulgo *D. Lutherborn*, profluit, portamque minorem, vulgo *das Pförtgen hinter dem gelben Engel*, praeterlabitur, et deinde Salae fluuio commiſcetur: *ſiniſtrum ac maius* contra brachium, vrbem Ienam, et in illa plateas, *die Iohannes-Leuter* et *Saalgaſſe* tranſit, et in Suburbio *vor dem Saalthor*, cum Salae ramo ſiniſtro iungitur.

§. 14.

Platea St. Iohannis, quam haec aqua primum influit, cum accliuior ſit caeteris plateis, ex ea facillimo negotio aqua in omnes plateas et forum duci poteſt, vt ſtercora et ſordes glaciemque, per hyemem in plateis congelatam, inque fruſta caeſam, ſecum in Salam rapiat; aut ſi incendia orta ſunt, vt extinguentibus largam aquae copiam ſuppeditet.

§. 15.

Exundatio huius aquae crebrior eſt, quia nubium

bium rupturae, a montibus factae, saepius hunc riuum influunt, quarum aquae, Leutram mirum in modum augent, conferatur Cap. I. §. 6. item *M. Adriani Beieri, Geographus Ienensis p. m. 131. etc.* CIↃIↃCXIII. die XXIX. Maii, Aquae INVNDATIONIS VINARIENSIS, vulgo *die Weimarische Sündfluth*, in nostram Leutram fluxere, non sine maximis Ienensium damnis, vide *Beierum l. c.* et alios historicos.

§. 16.

Explicabo obiter puellarum de hac aqua, vim occultam et superstitiosam. Puellae primo Festi Paschatis die, ante solis ortum, vrceo aquam ex hoc riuo, et quidem contra fluxum hauriunt, haustamque diligentissime seruant: cui aquae id tribuunt, quod per totum anni spatium putredini atque corruptioni non obnoxia sit, faciem formosiorem reddat, et sponsi futuri imaginem puellis repraesentet, tamquam in speculo. Quamuis non concedam, quod haec aqua mineralibus particulis ita imbuta sit, vt corruptionem totius anni spatio impediat. Is tamen non sum, qui neget, aquam hanc in primo veris tempore haustam (nonsolum Paschatis die ante solis ortum, quod puellae putant) maiori particularum mineralium copia impraegnatam esse *, quam in aestate et autumno: quia glacies aquae ex subterraneis ductibus effluxum multum impedit, et nix, montes terramque tegens, minerales exhalationes non parum intercipit ac supprimit: quibus fit, vt minerales vires in aqua per hyemem copiosiores

piosiores colligantur, quam in aestate (quia in aestate terrae pori, eiusque ductus aperti sunt) sic sordes faciei melius abstergat et aliquatenus putredini resistat. Num vero sponsorum faciem, haec aqua in vrceo referat aut exprimat? aliorum sit iudicium **.

* Ego quidem non facile inducar, vt hoc concedam. Neutiquam credo, primo veris tempore *maiorem* particularum mineralium *copiam aquis inesse*, quam alio quocunque anni tempore.

** *Prudenter abrumpit* auctor huius §phi *filum*. In aliis locis quoque inueniuntur non pauci in primis *sexus sequioris* homines, qui eiusmodi *aegra* phantasia laborant. *O sancta Germanorum simplicitas!*

§. 17.

GEMBDA riuus prope pagum *Wenigeniena*, in Salam labitur. Vis medica et mineralis, quae in hoc riuo est, tanta deprehenditur, vt *omnes scabie laborantes*, si in hac aqua nudos se lauerint, *virtute suo medica tutissime* * sanet. Huius etiam meminit saepius laudatus *M. Adrianus Beierus Geographo Ienensi pag. 440.* Experimenta vero certissima *Viri praeclari* IO. GVILIELM. BAIERVS *S.S. Theol. D.* et IO. IACOB. BAIERVS, *Phil. et Med. D. Professores Altorfini, supra laudati*, mihi commemorarunt. Hanc aquam agri Ienensis incolis, in curanda scabie, commendo, quae etiam in vere multo efficacior est, quam in autumno, ex rationibus, de Leutrae viribus, dictis, quod quilibet scabiosus, sine sumtibus et vitae periculo experiri poterit. Praeterea

terea muſcum, longo tempore**, topho obducit, de quo ſuo loco.

* Hoc loco non poſſum *clariſſimo auctori* adſentiri. Non ſemper erit tutum ex principiis medicis, ſe nudum lauare in riuo. Dicit *ille* hic, omnes ſcabie laborantes ſanatum iri, ſi in hac aqua nudos ſe lauerint, quod *minime* concedo, *ſaluo tamen meliori iudicio.* In affectibus ſcabioſis *interna* pharmaca *externa* auxilia ſemper *antecellunt*, vtpote quae ſunt his *praemittenda.*

** *Non adeo longum* tempus ad incruſtandum requiritur. Nonnulli ſtatuunt, aquam huius riui *citius* corpora iniecta cortice tophaceo *obducere, quam aquam fontis principis*, de quo VRBANVS FRIEDERICVS BENEDICTVS BRÜCKMANNVS in *Volumine IV.* libri *Hamburgiſches Magazin* dicti p. 508. *will man Sachen hinein* (nemlich *in den* FÜRSTENBRVNN) *legen, welche mit Stein ſollen überzogen werden, muſs man ſie ohngefähr ein viertel Iahr darinnen liegen laſſen, und behutſam mit denſelben umgehen, ſo lange ſie noch naſs, weil der Tophus davan alsdenn noch mürbe und leicht abzuwiſchen iſt.*

§. 18.

FONS PRINCIPIS, vulgo *der Fürſtenbrunn*, non procul a pago *Wöllnitz* ad collem *Hayn* eſt, et varia nomina habet, nempe: *der Peinickenborn, der Haynborn, der Wöllnitzerborn.* Animus non eſt, haec varia nomina inquirendi, ſed, cum *a potiori ſemper fiat denominatio*, et Principis nomen vſitatiſſima appellatio ſit, eam retineo, reiectis reliquis.

§. 19.

Cur vero hic fons Principis nomine ornatus ſit,

ſit, id cauſſa eſt, quia IO. FRIDERICVS, *Saxoniae elector*, in venatione apud hunc fontem commoratus eſt, quam ob rationem *Io. Stigelius Lib. V. Poematum*, in hunc fontem hos verſus cecinit:

Fontis ad huius aquam frigus captabat opacum
Saxoniae Elector, Myſtaque Chriſte tuus.
Tu fons iuſtitiae vere fons vive ſalutis,
Saxoniae ſaluos Chriſte tuere Duces.

et *idem Poëta* de hoc fonte et eius regione, in eodem *Libro* canit:

Fons exiens amoeno vallis angulo,
Vmbras meo gratas miniſtro Principi,
Lymphaeque garrientis opacum gelu.
Venator huc ſyluis reuerſus arduis,
Cum vitat aeſtum et auram captat mobilem.
At ille mi nomen relinquit inclytum
Hoſpes meus, Deum colit qui firmius,
Quam fontis vlla vrget Lymphas perennitas.
Da principi pacem Deus, da ciuibus,
Vt illo ad fontem praelucente ſit via
In ſempiternam vnde exilit vitam liquor.

§. 20.

Hic fons omnia iniecta corpora, ligna, lapides, conchilia, plantas etc. topho ſuo ſenſim obducit, et denique poſt multa tempora in lapides * mutat. Modum incruſtandi et tandem petrificandi, qui in huius generis aquis obſeruatur, ſat

ſcite explicauit *Vir clariſſimus* IO. IACOBVS BAIERVS, *ſaepius laudatus, Fautor, et cum Altdorfii commorarer Hoſpes, ſtudiorumque meorum curioſorum Promotor, multum colendus* in *Oryctographia ſua Norica p. 49. 50. et 51.* ad quam curioſum lectorem remitto.

* Hoc concedo de corporibus ad *petrificationem aptis*, ſed corpora *huic mutationi minus apta* cortice *tantum* lapideo *incruſtantur*, ſi etiam ante vnum ſeculum iniecta fuerint. *Clariſſimus* BRÜCKMANNVS, *filius natu maior*, cum quo a. 1753. Guelpherbyti colloquutus ſum l. c. p. 507. ſequentem in modum commentatur de noſtro fonte SCHÜTTE in *ſeiner oryctographia, und andere mehr haben unſerer Quelle die Eigenſchaft zugeſchrieben, daſs ſie Steine, Holz, Kräuter und andere hineingeworfene Dinge mit Stein überzöge, allein, wenn man es genau betrachtet, ſo wird man finden, daſs das Waſſer, ſo, wie es aus der Quelle kömt, noch nicht die geringſte topfſteinartige Materie bey ſich führet, womit es die Körper überziehen könne. Denn es wohl noch etliche Büchſenſchüſſe und weiter flieſst, ehe man etwas mit Topfſtein* (beſſer iſt Toph oder Tuffſtein) *überzogenes darinnen antrift: und habe ich einigemal, ſowol in die Quelle, als auch nicht weit davon, allerley Sachen in das Waſſer gelegt, woran ſich aber, ob es gleich lange gelegen, nichts von Stein angeſetzet hatte.* Videſis quoque praemiſſam (*ſub litt. n*) acceſſionem.

** *Doctiſſimus* LESSER νῦν ἐν ἁγίοις, et BRÜCKMANNVS, *iunior* de *famoſo* hoc *fonte* ſcriptiones ediderunt, quarum vtraque ex aliquot tantum foliis conſtat. Ad hos curioſum lectorem remitto. *Lectu* vtique *digniſſima ſunt*, quae de huiusmodi aquis *incruſtantibus* produxit Baierus in *oryctogr. Norica variis locis.*

§. 21.

§. 21.

FONS LAVTERBORN, vel LOTTERBORN, vulgo *D. Lutherborn*, ante portam minorem, vulgo *das Pförtgen hinter dem gelben Engel*, ſitus eſt, qui nomina *Lauterborn*, corrupte *Lotterborn*, a pelluciditate atque puritate, *Leuterborn* a Leutra praeterlabente habet. Minus recte vero *D. Lutherborn* appellari vult *M. Adrianus Beierus* loco citato; quod etiam verſus docent. Hic fons claram effundit aquam, dulcem atque ſalubrem, et olim a ciuibus magni aeſtimabatur. Iam vero rariſſime purgatur, cum tamen fontis antiquitas, et aquae ſalubritas, purgationem maxime mereantur. Verſus lapidi inſculpti, iam vero a longa aetate, quae omnia corrodit, extincti, ſequentes ſunt:

Limpidus hic ſcatet et gelidis pellucidus vndis
Fons, ſua cui bonitas nomen habere dedit.
Purus enim tenuem, qua nulla ſalubrior, vndam
Alnorum viridi tegmine ſeptus, agit.
Vinitor hanc, Ciuisque frequens bibit vrbis Ienae,
Confectus morbis hanc ſitit aeger aquam.

A. O. R. CIↃ IↃ LXXVIII.

quos verſus ab *Andr. Ellingero*, *Med. Doctore* et *Profeſſore Ienenſi*, compoſitos eſſe *M. Adrianus Beierus* loco citato putat.

§. 22.

FONS MALI BONIQVE OMINIS, vulgo *der Hungerborn*, in valle *Mühlthal* oritur,

inque Leutram profluit. De hoc fonte conferatur *Summe Reuerendi* IO. GVILIELMI BAIERI, *Theologi, Philosophi, Mathematici et Rerum Naturalium Inquisitoris, optime meriti, acutissimi, ac felicissimi, Fautoris plurimum deuenerandi* Dissertatio *de Fontibus annonae difficultatem portendentibus*, vulgo Hungerbrunnen, *Altdorfi Noric. 1709. p.* 7. *8. §. 4.* Cum vero haec Dissertatio non in omnium manibus sit, eius verba huc transferam: *Ad Ienam Thuringiae*, inquit, *vallis est versus occidentem solem, a frequentibus, quas continet, molis nomen ferens*, (das Mühlthal) *ceterum praeruptis ab vtroque latere montibus cincta. Haec etsi nunquam aquis deficit, quae molarum oppidique seruiant vsibus*, (*nam et riuum perennem et fontanas per canales aquas ministrat*) *tamen aliquando peculiares ex imis montibus aquarum venas ducit, quas saepius contemplati sumus siccas, nunquam autem manantes obseruare licet, nisi cum vel caritas frugum imminet, vel insolitos nimbos subito dehiscens nubes effuderit, quod aliquoties in ea valle nostra memoria contigit. Meminit huius rei quoque diligentissimus* M. Adrianus Beierus *in Geogr. Ienens. Cap. XXIV. p. 391. sed praesagium caritatis non tam in fluxu, quam ariditate fontis ponit.* Der Hungerborn (*ait*) im Mühlthal wird von denen gemeinen Leuten also genennet, weil er unterschiedlich ausfleust, bald starck bald schwach, und bedeutet bald ein fruchtbares Iahr vnd wolfeile Zeit, mit seinem starcken, bald aber ein Misiahr vnd theure Zeit, mit seinem schwachen Ausfluss, oder gäntzlichen Abgang. *Quae de-*

scriptio

ſcriptio vti famae popularis conſtantiam ſatis adſtruit, ita facile nos inducit, vt credamus, confudiſſe auctorem fontes fatidicos cum fonticulo alio in eadem valle continue extante, quem iſtiusmodi mutationes ſubire nouimus, pro anni temporum varietate, ſed ſine vllo, quod homines inde capiant, omine. Ipſi ſane fontes famelicoſi, nobis ab incolis rerum peritis monſtrati, plane non fluunt, praeterquam in caſibus illis, quos diximus. In hac docte atque concinne elaborata diſſertatione, plures alii, huius generis fontes, ex diuerſis mundi regionibus recenſentur, earumque cauſſae inquiruntur *.

* Hodie non multum fontibus ſic dictis *famelicoſis* ſ. *ſterilitatis nunciis* tribuitur et creditur. Cauſſae periodicorum horum fontium ſunt *naturales*, abſurdum itaque eſt, *vim aliquam ſupranaturalem in his quaerere.*

§. 23.

Praetereo alios NOVOS FONTES, qui aliquando aquam largiſſimam fundunt, et poſt aliquot dies, ſeptimanas aut menſes exareſcunt. Talis *noui fontis* mentionem facit ſupra laudatus IO. GVILIELM. BAIERVS in Diſſertatione, *de fontibus annonae difficultatem portendentibus*, vulgo *Hungerbrunnen*, vbi *Cap. II. §. 4. p. 13.* inquit. *Vidimus nos Anno 1698. prope* Ienam *Thuringiae, fontem nouum, poſt pluuias diuturnas e radicibus montis vitiferi magno impetu ſcaturientem, et quidem interiectis iam tum pluribus diebus ſerenis. Fluxit inde per duas circiter ſeptimanas, et effuſa aquarum, quas continebat, vi haud modica,*

rurſus exaruit. Huius generis fontes, plerumque hyemem niuoſam et ver pluuioſum ſequuntur, et propter nimiam humiditatem agrorum, annos humidos atque ſteriles vulgo *naſſe und unfruchtbare Iahre* indicant. Hoc clariſſime explicat idem *Baierus* loco citato, cuius verba huc transferam: *Neque vero* (inquit) *etiam morari nos debet, quod forte aliquando ſub initium veris aut aeſtatis non admodum humidae, prorumpant et annonae penuriam indicent huiusmodi fontes. Si enim ſaltem hyems vltra modum niuoſa vel pluuioſa praeceſſerit, facile iam tunc et ſufficiens his fontibus vnda colligi potuit, et ſegetes adeo corrumpi, vt incaſſum abeant veris et aeſtatis beneficia. Similis reſponſio dabitur, ſi quaeras, cur nonnunquam poſt pluuias demum, inque media ſerenitate, prodeant iſti ſterilitatis nuncii; quae res maxime ſuſpenſos tenere ſolet homines plebeios. Nempe ſicut aeſtus ſolaris penes nos non tam vim ſuam exerit tempore ſolſtitii, cum ſol eſt altiſſimus diesque longiſſima, quam poſtea, cum tellus diuturna radiorum vibratione iam ſatis incaluit: ita fontes illi noui haud prius erumpunt, quam aquis ſibi debitis non modo in terram effuſis, ſed ex tot venulis intra vnam cauernam congeſtis, ac denuo iſtas loci anguſtias eluctatis, quae profecto non exiguum temporis ſpatium depoſcunt.* Hactenus clariſſimus *Baierus.*

§. 24.

De *Fontibus Hungerbrunnen,* aut *nouis,* ſentiendum, quod naturales ſuas cauſas habeant: non vero miracula Dei ſingularia ſint, quod hactenus multi

multi Rerum Naturalium ignari ſtatuere, et adhuc credunt. Superſtitioſum etiam eſt dixiſſe, tales fontes, bella inteſtina, magnatum mortes, peſtem, aut aliud malum praeſagire. Superſtitioſum exemplum et fraudis haud vacuum, narrat Albinus *in der Meiſsniſchen Berg-Chron. p. 79.* de fonte quodam, ad oppidum Miſniae *Lommitzſch*, quod glandes, triticum et auenam protulerit, ſi fertilis annus futurus fuerit; ſi vero bella, ſanguinem et cineres. Quae vero ſuperſtitio atque fraudes ceſſarunt, poſtquam HENRICVS *Imperator* accolas ad Chriſtianam religionem duxerat. Et quamuis tale quid eueniat, tamen naturalis cauſa adeſſe poteſt: quale exemplum *Suſati*, in Gueſtphalia noſtra, videmus, vbi ſingulis annis, LACVS quidam in vrbe, vulgo *der Kolk* in vltima aeſtate, vel primo autumno plane deficit, in hyeme niuoſa, aut vere pluuioſo redit, et cum aqua *glandes*, *folia quercus*, *alni*, *fagi etc.* aliquando adfert. De hoc Lacu relatum habeo, quod cum *Fluuio die Meune* (qui duo milliaria fere ab vrbe, per ſyluam fluit:) exareſcat, et redeat: vbi facile fieri poteſt, vt glandes et varia folia, ab arboribus deiecta, ſecum rapiat, inque vrbem noſtram per occultos ſubterraneos ductus vehat *.

* Ab auctore in hoc §pho allata mihi *mirifice* arrident, quoniam ſunt *rationi quam maxime conſentanea*. Conf. antecedens adnotatio, quam ego ſubieci.

§. 25.

Mirabilis eſt FONS *der Tiefebrunn*, qui inter Dornburgum et Camburgum in via, qua itur

ad Numburgum, ad finiftram, in confpectum venit. Hic fons ex alio monte, quem Sala fluuius alluit, aquam fundit largiffimam. Hunc fontem cum Sala connexionem quandam habere coniicio, quia tam alte profundus eft, vt ad Salam maxime, fi non infra eum, abeat. Num vero aqua ex imo fundo (quem nonnulli profundiffimos fubterraneos ductus penitus intrare putant) in altum affurgat? an in fuperiori montis parte fcaturigo fit, qui per occultos ductus huic fonti aquam largiatur? nondum obferuare potui.

§. 26.

Anilis fabula de huius fontis origine narratur, quae fequens eft, nempe: Quod duo fratres Nobiles, qui in hac regione degerunt, ingenti mercurii viui copia ac pondere, tale profundum et amplum foramen fecerint, ex quo tandem hic fons ortus fit. Sed cum Mercurius viuus multo carior, rarior atque pretiofior fit, vt tanta copia ematur inque terram fundatur, et lapides minime perforet atque penetret, haec traditio facile concidit. Crediderim potius, a pyrii pulueris difplofione et vi (fi tum temporis hic puluis cognitus fuit?) has petras disruptas, aut indefeffo hominum labore, malleorum cuneorumque vi et acie perforatas effe, vt arci, quae fortaffis hic ftetit, aquam largiatur. Tales fontes in altiffimis magnatum arcibus reperiuntur, quos hic non recenfebo. Sed cum etiam in altiffimis montibus lacus et fontes obferuentur, qui tales funt, vt a nemine hominum; fed a natura

talia foramina facta esse, pronuncies, fontes naturales merito appellantur; non repugnabo illorum sententiae, quae hunc fontem naturalem ortum habere putat; sed illam potius comprobo. Fontes enim naturales aqua scatent, illi vero, qui hominum labore facti sunt, in profunditate aquas habent.

§. 27.

Nolo hic recensere, quot sint FONTES IN VRBE IENA EIVSQVE SVBVRBIO, ne nimis prolixior sim. Illud autem in genere de his dicam, quod horum fontium aquae, aliquid calcis et gypsi secum vehant, quod, si aqua per noctem in vase steterit, aut in aheno coquatur, calx, vel potius gypsum in fundum praecipitetur. Haec de aquis nostris *.

* Omnes fontes insignem copiam materiae calcareae s. tophaceae secum vehunt, quae facile ad fundum vasis, in quo asseruatur aut coquitur aqua, se praecipitat. Experimentum *cum oleo tartari per deliquium* institutum rem extra omnis dubitationis aleam ponit. Num vero haec materies simul sit *gypseae*, immo potius magis *huius* quam *calcareae naturae*, hoc nondum experimentis didici, id *non facile* auctori concedens.

Nudo oculo tophaceae inhaerentes particulae conspici possunt. Si in vitro perlucido aqua sine motu haeret, facillime fundum petunt dictae particulae.

§. 28.

Possent etiam ad agrum nostrum illi TRES FONTES SALVBRES, vulgo *Gesundbrunnen*, qui in Ducatu Vinariensi, prope pagum *Rastenberg*,

ſtenberg, in praeterito ſeculo detecti ſunt. Sed cum de his peculiaris Tractatus in lucem prodierit, et a paucis frequententur, illos praetereo. Inſcriptio autem huius libelli haec eſt: *Die in einem Triangel nahe bei einander liegende Geſundbrunnen bei Raſtenberg, im Fürſtenthum Weimar. Weimar 1697. 4.* ad quem tractatum curioſum lectorem remitto. Huc etiam obiter ſaltim refero LACVM CYGNEVM *den Schwanenſee*, qui ad pagum *Sümmern* non procul a monte Eckardsbergo eſt, de quo lacu *Brun. Seidelius* cecinit: confer: *M. Steph. Ritteri Cosmographia Proſometrica lib. V. Potamographiae p. m. 1075.*

Progreſſi paucis ex illa paſſibus ora,
Qua iacet in pingui parua Somera ſolo,
Vidimus inde lacum, cui fecit nomina cygnus,
Is latas multo gurgite voluit aquas.
Hunc fulicae longo complebant agmine furuae,
Non Hyblam maior copia verſat apum.
Nec tam denſato procedunt ordine, quando
Formicae blandos depopulantur agros.
Iniicimus aliquot lapides de margine lectos,
Semper apud ripas nam lapis eſſe ſolet.
Aufugit extemplo fulicarum territa turba,
Ac tanto per aquas inſonat alta ſono.
Non ſecus ac multae currant ſuper aequora puppes,
Aut de praecipiti flumine rupe cadant.

Praeter fulicas copioſi piſces in hoc amplo lacu reperiuntur.

§. 29.

§. 29.

Praetereo conſulto alios, in vicinia agri noſtri, lacus, cum ad agrum noſtrum non pertineant; ſed propter curioſos Hiſtoriae Naturalis Inquiſitores, ſaltim horum mentionem facio, nempe CRATERIS THVRINGIAE, de quo *Agricola de Natura eorum, quae effluunt ex terra Lib. III. Cap. 2.* ait: *Aliquae contra in ſe iniectum abſorbent: vt Crater in Thuringia Tundorſi, qui pagus ad octauum lapidem diſtat ab Erphurdo*, et idem auctor loco citato *Cap. 3. Alii modo intumeſcunt, modo reſident: vt Crater Thuringiae, de quo ſupra dixi, cumque eo lacum, qui eſt ad radicem montis, et creſcere et decreſcere aiunt.* LACVS DENSTADIENSIS, qui prope *Dänſtädt* vel *Tänſtädt* eſt, de quo *Agricola de natura eorum, quae effluunt ex terra Lib. IV. Cap. 22.* egit. LACVS SALSI, *der ſalzigen See*, qui inter Srapelam et Seburgum eſt, de quo *conf. Agric. l. c. Lib. I.* et LACVS DVLCIS, vulgo *der ſüſſe See*, huic proximi, de quo etiam *Agric. loc. cit.* Omitto amnes et torrentes, extra agrum noſtrum Salam influentes, quos pag. 17. et 18. enumeraui.

CAPVT IV.

DE

TERRIS MEDICIS ET MECHANICIS.

§. 1.

Quamuis Cap. I. §. 3. *de terra eiusque varietate* dixerim, opportunum tamem fore existimo, *terrarum Mechanicarum et Medicarum in specie* meminisse. Cum vero harum non adeo magnus numerus, et varietates diuersae in agro nostro reperiantur, ex Thuringia, in qua ager est, paucas terras huc retulisse placebit: et quidem illas, quae *Veteribus* cognitae fuere, v. gr. *Agricolae, Kentmanno, Albino* et *Encelio*. Quod quidem eam ob causam non solum in hoc capite, sed etiam in sequentibus facere constitui, quia hunc tractatum *Historiae Naturalis Thuringiae*, in primis tamen *Rei Metallicae Salfeldensis*, (et forte *Schwarzburgensis*,) *Historiae Prodromum* esse volui.

§. 2.

ARGILLA inter terras mechanicas, primum locum sibi vindicat, cuius aptissima definitio apud Excellentissimum IO. IAC. BAIERVM, *in Oryctographia Cap. III. p. 12.* legitur: Variae

Argillae

Argillae ſpecies ex agro noſtro eruuntur, in primis vero colore diuerſae, v. gr.

Argilla alba, quae paſſim in figulorum fodinis occurrit,

Argilla colore cinereo, ibidem,

Argilla coerulea paullo rarior,

Argilla rubra et *purpurea*,

Argilla flaua, cum aliis varietatibus in foſſis figulorum conſpiciuntur, vbi Strata coloribus inter ſe diſtincta, iucundo ſpectaculo obſeruantur. Has colorum varietates omnes in fodina argillacea, in ſuburbio Ienenſi, ante portam St. Iohannis vidi, cum *Summe Reuerendus* DANZIVS, *S. S. Theol. Doctor et Profeſſor*; olimque *Orientalium Linguarum optimus interpres* aedem in horto ſuo ſuburbano exſtrui curaret. Non minus aliquando in aliis foſſis, diuerſi colores, tamquam ſtrata occurrunt.

§. 3.

Optima ſpecies eſt, quae *figulina* dicitur, et colore *cinereo*, *albo* et *rubro* tincta, inque variis agri noſtri locis e terra eruitur. Formantur ex hac argilla nonſolum *ollae*, diuerſae capacitatis, *patinae*, variae magnitudinis et *orbes etc.* ſed etiam *fornaces*, ad calefacienda conclauia, quae fornaces *Kachelofen* nominantur. Impurior vero argilla cum arena mixta, laterum coctorum materia eſt, ex qua in ſuburbio *hinter dem Fürſtenkeller*, aliisque in locis, lateres et tegulae coquuntur. Medicorum vſus, abſorbendi et exſiccandi, non tam frequens eſt.

§. 4.

§. 4.

BOLVS RVBRA, in agro nostro nondum reperta est, quantum scio. Interim tamen ex vicinia huc referam *Medullam Rochlicensem rubram, mollem, saxorum, qua homines magno cum fructu, loco Boli armenae, vtuntur*, vid. *Kentmanni Nomencl. fol. 6. n. 10.*

§. 5.

RVBRICA FABRILIS ad pagum Rotensteinium in terra deprehenditur, et in ripa amnis Rodae etc. Non procul a mola ista, in qua Smaltum paratur, vulgo *die blaue Farbenmühle*, quae dimidiam horam ab vrbe Salfeldia est, *Rubrica fabrilis fusca* ex monte Rothenbergo eruitur, quae ab incolis et accolis *brauner Rötelstein* et *braune Kreide* appellatur; de qua alia occasione fusius. Porro in Thuringia ad pagum Leubingam *Rubrica fabrilis pura et fluida* effoditur, referente *Kentmanno loc. cit.* Huc pertinet curiosa *Encelii* obseruatio, *de Re Metallica Lib. II. pag. 134.* in qua narrat, *quod ad torrentem Garmersdorfensem, Ochra in rubricam mutetur.* Rubricae fabrili adiicio *terram lapidosam rubeam Rochlicensem, cum qua ipsa marga exscinditur. Kentman. Nomenclat. fol. 2. n. 30.* item in Vogtlandia *conf. Albini Meissnische Bergchronica p. 176.* quae partim *dura*, partim *fluida* existit. Pictoribus et fabris lignariis, in ducendis lineis vsui est. Virtutes vero medicae variae sunt, quas omnes recensere, nimis diffusum atque prolixum foret: illud tamen breui dicendum, quod haematiti multum conueniat.

§. 6.

§. 6.

OCHRA ad Ienam vrbem inuenitur, et quidem in *Geode*, et ad Salae ripam: nonſolum ad Salam noſtrum; ſed etiam extra agrum noſtrum, ad Albim in Miſnia. De Ochrae in rubricam immutatione, in praecedente §. dixi. Praeter vſum pictorium in pingendis illuminandisque tabulis, haec terra paullulum corrodit et ſimul exſiccat; quare ad tollendos pannos et luxuriantes carnium excreſcentias optime adhibetur *.

* In Materia medica ſunt *tutiora melioraque* remedia, quae extrinſecus ad haec mala adhiberi poſſunt.

§. 7.

CRETA, quamuis apud nos non reperiatur: haud abſurdum tamen fore exiſtimo, obiter *Cretam nigram minimis pnigitidis atomis mixtam, guſtu Salis et Calcanthi, quae effoſſa eſt ſupra Salfeldiam Thuringiae vrbem*, qua vtuntur in tingendis aedificiorum trabibus, *Valer. Cordum in Var. Obſ. ſylua fol. 220.* huc retuliſſe. Perſuaſus ſum, quod haec *Valerii Cordi Creta nigra*, ſit *Encelii Pnigitis*, et vulgo Metallicorum vocabulo *ſchwarze Kreide* indicatur, de qua *Encelius de Re Metallica Lib. II. p. 116.* dicit: *Pnigitis in patria mea dulcisſima, in torrente Garmersdorfenſi, qui labitur per agros petens Salam, reperitur lapis niger, friabilis, vnde pueri atramentum componunt, et ipſe puer inde compoſui: is mihi videtur omnino eſſe pnigitis indurata calore, ingentis nonnunquam magnitudinis, ac levis proportione.* Huic adiicio Cretam

tam coeruleam, *quae effossa est in Thuringia prope oppidum Mogellam*, *qua fabri in pingentis parietibus vtuntur*, Dorringische Kreide, *Kenntmann fol.* 7. *n.* 7. de his in historia ipsa fusius.

§. 8.

MEDVLLA SAXORVM passim in rimis et fissuris petrarum, lapidumque maiorum reperitur: quae pultis instar *fluida* est, vel etiam *spissioris* consistentiae, vt aliquando frusta iuglandis magnitudine petris exscindi possint. Variat colore *albicante*, *cinereo*, *fusco* et *rubro*: virtute leniter adstringendi et absorbendi gaudet.

§. 9.

MARGA FISSILIS *viridis* et *punicea*, *subpinguis cum particulis micae sterilis*, quam non procul a porta minori, vulgo *das Pförtgen hinter dem gelben Engel* ad dextrum Leutrae brachium, prope Iaspidem lapidem, ex montis radice erui; in quo strata phoenicea supra stratum viride obseruare licet *. Cum haec marga primum mihi ante oculos veniret, putaui, hanc esse *terram metallicam ferrariam*, vulgo *Eisenmann*, cum qua multum commune habet, et venae auri index est.

* Haec est illa margae species, de qua mentio facta est in *scripto periodico* hic in lucem a *clarissimo* IO. AVG. SCHLETTWEINIO, edito, sub titulo: *Schriften zum Vortheil nützlicher Wissenschaften entworfen von einer priuat Gesellschaft* 1759. 8. et quidem in huius scripti secunda parte p. 75. sqq. Non possum, quin verba apprime huc facientia adducam:

Eine

Eine andere Art von Erde, welche man an eben demselben Orte antrift, hat vor allen andern mir bekannten Arten, die um Iena gefunden werden, einen vnendlichen Vorzug. Sie liegt in ganz dünnen Schichten zwischen einer grauen sandigten Erde, wenn man nur etwas weiter von der Gegend des Ockers an der Saale hinuntergeht. Auf der äussersten Fläche ist diese Erde hart, ie weiter man aber gräbt, desto weicher ist sie. Sie hat eine Oliven Farbe. An der Luft ist sie etwas blasser, als in der Tiefe. Wenn man sie anfasst, so spühret man dieselbe Empfindung, welche man hat, wenn man eine harte trockene Seife angreift. Im Wasser wird sie zu einem zarten vnbegreiflichen Puluer, welches eben so zart vnd krumigt ist, als die Seife im Wasser aufgelösst zu seyn pfleget. Ohne Reiben vnd Schütteln wird man sie schwerlich im Wasser auflösen können, welches ohne Zweifel ihrer grossen Fettigkeit zugeschrieben werden muss. Man darf sie nur mit Wasser vermengen, vm die Flecken in kurzer Zeit aus den wollenen Zeugen zu bringen. Im Feuer prasselt sie, zerspringt in kleine dünne Blätgen vnd stösst bisweilen einige Funcken von sich.

Ob ich gleich niemals eine ächte Englische Walcker Erde gesehen habe, so kann ich doch nicht umhin, diese Erde mit iener für völlig einerley zu halten. Die Beschreibungen, welche die Engelländer vnd andere Schriftsteller von derselben gebildet haben, fassen alle diese vnd keine andern Kennzeichen in sich, welche bey dieser Erde vereiniget angetroffen werden.

Es kömmt also blos darauf an, ob ein Patriotisch-Gesinnter diese Spur, welche meines Wissens von keinem, weder von dem Schütteus, (hoc falsum, respice nostri auctoris verba) *noch von dem Verfasser der in einen Bogen bestehenden Nachricht der Ienaischen Fossilien sind bemerkt worden, weiter nachforschen wird, um eine Erfindung zu ihrer Vollkommenheit zu bringen, von welcher Iena vnd die hiesigen Lande sich die grössten Vortheile versprechen könnten.*

Paucis

Paucis interectis sequuntur haec: *Eben diese grüne Erde habe ich auch oben auf der nach Iena zu abhängigen Fläche des Genseberges häuffig gefunden. Ich habe an verschiedenen Stellen ohngefehr einen Fuss tief gehackt.*

Nostra marga certissime est *smectis species*, *eine gewisse Art Seifenerde* vid. *clariss.* CARTHEVSERI *amici inter paucos integerrimi*, *Elementa Mineralog. pag.* 7. quae in aëre liberiori iacens *lithomargae faciem* vna cum indole externa assumit, id quod *probe* est notandum. In citato SCHLETTWEINII scripto exstant p. 77. haec verba: *Man trift noch eine andere Art von Märgel Erde, vnter welchem Geschlechte die Walcker Erde mit begriffen ist, an dem Fusse des Berges vor dem hiesigen Engelthore in grosser Menge an. Sie liegt blätterweise übereinander. Ihre Farbe ist braunroth. Sie ist von grosser Schwere. Im Wasser zerfällt sie durch ein gelindes Schütteln. Im Feuer verursacht sie gleich der vorigen Erdart ein kleines Prasseln. Sie ist sehr fett, vnd ihre Theile verliehren sich bey dem Anfühlen in den Zwischenräumen der Haut, doch muss sie der ersten Art von Erde in diesen Stücke den Vorzug lassen. Fett vnd Dinten Flecke werden in kurzer Zeit auf wollenen Zeugen nicht mehr gesehen, wenn sie mit dieser aufgelösten Erde gewaschen werden. Dieselbe Erde, doch sandigter, findet man sowohl am Fusse als auch in der Mitte des Genseberges sehr häuffig.*

Haec est vna eademque margae s. smectis species, de qua noster auctor in eodem hoc §pho agit. Haec est illius *varietas*, *non species diuersa.* Color nunquam nomen specificum immutare potest, sed constituit varietatem. *Clarissimus* LÜMMEN, adductae sententiae auctor, margam ienensem *non primum* inuenit, id quod *pace eius dictum* volo.

CAP. V.

CAPVT V.

DE

LAPIDIBVS NVLLA CERTA FIGVRA GAVDENTIBVS, QVI ΑΜΟΡΦΟΙ APPELLANTVR.

§. 1.

ORdo et methodus iubent, vt in hoc capite de *Lapidum* ἀμόρφων varietatibus aliquid delibem, praesuppositis lapidum, cum in genere, tum in specie, definitionibus: quae ab aliis auctoribus traditae sunt, quare hoc labore supersedeo.

§. 2.

Primum se offert SAXVM ARENARIVM, quod variis in locis agri nostri reperi: de quo monendum, quod vnum genus, si ex terra fodiatur, tam *molle* sit, vt leuiori ictu et allisu in frusta dissiliat: si vero aëri exponatur, sensim atque sensim indurescat, firmioremque cohaesionem acquirat: quale saxi genus in *Sebergo* prope Gotham vrbem inueni: alterum *genus valde durum* est et *firmissime cohaeret*, cuius petrae passim in agro nostro occurrunt. Colores inter se discrepant, *luteus*, *albus*, *ruber*, *gryseus* et *fuscus*. Vsus omnibus notissimus est.

f §. 3.

§. 3.

Ex ſoluto ſaxo *Arena* fit, quae a phyſicis in *foſſicam*, *fluuiaticam* ſiue *litoralem* et *marinam* diuiditur. Duas priores ſpecies, circa nos videmus. *Arena foſſica* ex montibus eruitur: huc etiam refero Speluncam arenariam, vulgo *die Sandhöhle*, *die Sandgrube* in Sebergo, quae crypta ampla eſt, variaque fulcra fornicata habet, ne concidat, quae tamen, ad ingreſſum, ingens et vaſta ſuperincumbens moles fregit, et comminuit; quae ruina non ſine horrore conſpici poteſt. *Arena fluuiatica* ſiue *litoralis* in Sala, et ad eius ripas copioſior eſt *. Vſus arenae multiplex deprehenditur, tam in purgandis et poliendis vtenſilibus, tabulatis conclauium metallisque, quam in deſtillationibus chymicorum et pharmacopaeorum, conficiendis clepſydris, litterisque ſcriptis exſiccandis etc.

* Deſignatio ac *diuiſio* arenae in *tres ordines* non eſt *optima*, hanc enim prorſus non eſſe in arenae naturali indole atque natura fundatam ſine negotio intelligitur.

§. 4.

Huic accedit SAXVM GLAREOSVM, quod nitet et ſplendet micae ſterilis fere inſtar, vario colore conſpicuum, nempe: *rubro*, *ſubuiridi*, *albo* et *cinereo* *. Cuius fruſta ad ſpeluncam, *die Teuffelshöhle*, et ad Hausbergum, aliisque in locis reperi.

* Dn. auctor de *gypſo ſtriato* hic tractat, vti veroſimillimum arbitror, quod *ſaxi glareoſi* nomine inſigni-

insigniuit, vide etiam accessionem, qua §phum huius capitis septimum praemeditatus donaui. Hoc auctoris *saxum*, *minus adcurate* ita *appellatum*, gypseae et friabilis conditionis est, strias candidissimas aut subcinereas sibi parallelas possidens, et a litteratorum hic degentium plerisque arenae scriptoriae loco vsurpatur. Nullo iure *filamentosus* hic *lapis* sibi potest *saxi denominationem* vindicare. Filamentosi nostri lapidis *matrix* (*das Gebürg* vel *Steinmutter*) *non est constante colore*, hic enim est ruber, albus, cinereus, fuscus, subuiridis, vnde euenit, vt auctor, *matricem pro corpore ipso* s. veluti ipse loquitur, saxo habens, scripserit, glareosum hunc lapidem esse conspicuum vario colore, nempe: rubro, subuiridi, albo et cinereo, quod *falsum* intellexi, etenim ipse *lapis striatus constantissime colore gaudet albo*, *albicante* s. *subgriseo*. Germ. non nullis appellatur *der Styps*, cuius mentionem facit *vir consultissimus* HERMANNVS in seinem *kurzen Vnterricht von den Ienaischen Fossilien.*

§. 5.

TOPHVS siue PORVS, quem *Agricola* inter lapides numerauit, huc etiam pertinet: qui ad fontem vulgo *der Fürstenbrunn* copiosus est, et in eius aqua generatur: quando nempe eae particulae, quas aqua vehit, praecipitantur, corporibusque iniectis adhaerent. Saepius etiam in locis incultis, circa pagum Cospeta, in montibus ad vallem *das Rauhethal*, et in illo latiori monte *bey dem Luftschif*, *in der Ziske etc.* inueni. In Gembda amne etiam reperi *, et Vinariae in riuulo quodam, qui non procul a via, qua a Vinaria ad Erfurtum itur, ad sinistram viae est. Non dicam quod circa Salfeldiam, Vinariam, Erfur-

tum et Gotham reperiatur tofus. Ad ornandas componendasque curioforum cryptas, germ. *das Grottenwerk*, colligitur: alii contra pyramides ex hoc tofo componunt.

* Ego in ripa Salae deprehendi *tophum leuem, foraminosum grisei coloris.*

§. 6.

SAXVM CALCARIVM inter gypfum frequens eft, quod in calcem vritur. Salfeldiae etiam reperitur, me ipfo et *Encelio* teftibus, qui *Lib. III. de Re Metallica* dicit: *Lapis calcarius in patria mea, ad Salam et aliis locis auf den Kalkbrüchen und Bergen.* Vfus eft infignis in conglutinandis muris, et dealbandis parietibus: Medicus vero varius eft, quem iam non recenfebo.

§. 7.

GYPSVM, vt plurimum *candidum* eft, rarius vero *cinereum*: cuius ingens copia, venaeque latae et maiores in agro Ienenfi notabiles funt, de quibus venis *Agricola de natura foffilium Lib. V. Cap. 7.* dicit: Gypfum *in Mifenis ad Salam fere e regione Ienae oppidi Thuringorum, in quo loco montes abundant venis gypfi dilatatis.* Quae Gypfi abundantia cauffa eft, cur *gypfum vftum*, calcis vices, in conglutinandis muris, obeat: quod etiam *Kentmannus* fuo tempore in Thuringia obferuauit; qui in *Nomenclat. fol. 26.* offert *Gypfum vftum, quo Thuringi calcis vice vtuntur, Sparkalk.* Haec gypfi copia nonfolum in Ienenfi agro eft; fed in tota fere Thuringia,

v. gr.

v. gr. circa *Gotham* in *Sebergo*, *Salfeldiae* et *Nordhusae* in montibus, qui toti fere gypſei ſunt: de qua vltima vrbe *Agricola de Nat. foſſil. Lib. V. Cap. 7.* refert, quod *ex cruſtis Gypſi*, (intelligit Saxum foſſile gypſeum) *cinerei coloris, murus Nordhuſae in Thuringia exſtructus ſit* *.

* In ienenſi agro reperi Alumen ſic dictum ſciſſile ſ. *Inolithum celeberrimi* CARTHEVSERI, *iunioris*, vid. eiusd. *Elementa Mineralog. p. 18.* Noſter inolithus *plerumque* eſt *albi coloris.* Germanicum vocabulum aptiſſimum eſt *faſerigter oder Strahlgyps.* VOLKMANNVS in *Sileſia ſubterran. p. 44.* vbi de alumine plumoſo ſ. ſciſſili tradit, inquit: *Dieſe Species wird auch bey Iena gefunden, vnd daſelbſt insgemein Katzenſtein genennet.* Vulgo ienenſi non *Katzenſtein*, ſed fere ſemper *Katzenſand* riariusque *Blindſtein* dicitur; ſtriatum hoc gypſum, nihil aliud eſſe iudico, quam *ſaxum glareoſum* SCHÜTTEI, de quo confer huius capitis §phum quartum vna cum animaduerſione adiecta.

§. 8.

Praeter illud, quod loco calcis in vſum veniat, ex eo *plaſmata* variorum colorum fiunt: quibus coloribus, quando gypſum miſcetur, maſſam hanc tingunt: plurima vero *plaſmata alba* ſunt, qualia in arcibus Sereniſſimorum Saxoniae Principum, Collegio Ienenſi, in auditorio publico Theologico et Medico, nuper exſtructis; Gothae in coenobio Auguſtinorum olim monachorum, iam Gymnaſio illuſtri: Lipſiae etc. Formantur ex hoc gypſo combuſto *Statuae*, diuerſae magnitudinis, *effigies hominum* aptiſſimae, et *nummorum rariorum ectypa* accurata. Pollet virtute *exſiccandi,*

ſiccandi, *obſtruendi* et *conglutinandi*, quare *externe* in ſanguinis fluxu ſiſtendo applicatur: *interne* vero ſumtum mortem adfert.

§. 9.

ALABASTRVM, cuius fragmenta ad Salae ripas inueni, *candidum eſt, et aliquando rubris venis pictum. Non procul a Rudolphopoli *alabaſtrum* copioſe eruitur, cuius varietates ſunt:

Alabaſtrum album, purum,
Alabaſtrum corneum, purum,
Alabaſtrum album cum venis rubris **.
Alabaſtrum corneum cum venis rubris.

Quae ſpecies, ſi in fruſta plana ſecantur et poliuntur, perlucidae fiunt. Quia hic lapis mollis eſt, facili labore *effigies ſanctorum Apoſtolorum*, aliorum *hominum*, *animaliumque* a ſculptoribus ex eo ſculpuntur. Porro fiunt ex alabaſtro *varia vtenſilia* et *vaſa minora*, ad pompam magis, quam vſum domeſticum, et *infantum ludicra*. Huius lapidis puluis ingreditur *vnguentum alabaſtrinum*, quod capitis dolores tollit. Curioſum de gypſo experimentum habet *Rob. Boyle Hiſt. fluidit. Sect. XVIII.* et ex eo *Io. Iacob. Baierus in Oryctographia Norica Cap. IV. p. 26.* ad quos Lectores remitto.

§. 10.

* Alabaſtrum ienenſe, quod in campis paſſim reperitur, eſt *nitidum*, *ſat durum* atque *polituram* aſſumit *elegantem*. Varias ienenſis alabaſtri ſpecies alio loco graphice deſcribam.

** Alabaſtrum album cum venis nigris ego in Ienenſi agro inueni.

§. 10.

MARMOR NIGRVM, *cum venis albis:* et *album cum venis nigris* in agro noſtro offendi, cuius fragmenta minora in Sala, paſſim inter ſilices occurrunt. *Eximiae duritiei* vero et *nigricans, ad colorem caeruleum vergens cum venis albis*, non procul a Salfeldia, e monte eruitur: cuius magna vena ante paucos annos detecta eſt. Sed de hoc, aliisque in vicinia marmoribus in ipſo opere agam.

§. 11.

Marmor ſequuntur SILICES, marmore duriores. Horum diuerſae ſpecies, tam in Sala *, Leutra, riuulisque minoribus, quam in agris, vineis et montibus reperiuntur. Differunt inter ſe Silices noſtri, *colore candido, nigro, flauo, fuſco, rubro* et *dilute rubente*, aliquando etiam ex variis *mixto*. Illi Silices, qui in fluuiis reperiuntur, plerumque molliores ſunt, et non firmiſſime cohaerent, quam alii, extra aquam poſiti. Sed verus ſilex, extra aquas in agris, aut terra deprehenſus, marmore durior eſt, et chalybis ictu et alliſu ex eo ignis elicitur; cuius ſpecies, quae cornei coloris eſt, *Feuerſtein* appellatur.

* Equidem diuerſas ſilicum ſpecies ad Salae ripas deprehendi. Rationi congrua ſunt, quae in ſequentibus his de ſilicibus fuſius explanat noſter Schütteus.

§. 12.

Silices nullo ferro tractari poſſunt, quia duriſſimi ſunt, vt omni ferri aciem et vim eludant:

quare ad ſternendas plateas requiruntur a fabris murariis. Quamuis vero Silices ferri vim eludant, igni reſiſtere non poſſunt, cuius fortiſſima vi molliores redduntur, vt in minora fruſtula diſſiliant; deinde piſtillis ingentis molis ligneis, in inferiore parte ferro craſſo circumdatis, a mola in altum ſublatis, vt lapſu grauiore ruant, ſubiiciuntur, et in puluerem minutiſſimum contunduntur: quam molam metallicorum vocabulo, *das Puchwérk* appellare ſolent. Puluis ille ſubtiliſſimus cum cineribus clauellatis et cobalto in furno fuſorio in *fluorem caeruleum* funditur, ex quo deinde *Smaltum* paratur; quod Salfeldiae, non procul ab vrbe, *in dem blauen Farbenwerke*, videre licet. Porro a Metallicis ex ſilicibus praeparantur fluores, vulgo *die Flüſſe*, de quibus alio tempore. Medici ſilices *pulueribus dentifriciis* immiſcent; Sic etiam ex hoc lapide extrahitur laudatiſſima *Tinctura nephritica Amelungii*, in nephritide et calculo miſeris magnum leuamen praebens.

§. 13.

IASPIS, inter pretioſos lapides ab omnibus numeratus, auro includitur, et ſculpturas recipit. Huius *ſanguinea ſpecies* copioſa in agro noſtro eſt, variisque in locis reperitur, nempe: in ripis altioribus Leutrae amnis, et quidem brachii dextri, *vor dem Pförtgen hinter dem gelben Engel*, non procul a ponte huius portae, verſus Salam: *item* ad cryptam, vulgo *die Teuffelshöhle*, et *in petra* quadam prope pagum *Wöllnitz.* In

his

his locis iaſpidis venas, tamquam ſtrata, inter alia ſaxa reperi: quae tam latae ſunt, vt plurimum vnius digiti, rarius vero duorum digitorum, latitudinem ſuperent.

§. 14.

Eodem colore rubro, qui in iaſpide noſtro conſpicitur, adiacentes etiam et vicini lapides tincti ſunt. In iaſpide vero, radiis ſolaribus, tempeſtatumque iniuriis, expoſito, color *ſanguineus*, in *dilute rubentem*, *flaueſcentem*, et *lacteum* mutatur. Huic coloris mutationi, ſimillimum Experimentum, ignis chymici ope abſolutum, *Becherus in phyſica ſubterranea Lib. I. Sect. III. C. IV.* tradit: qui iaſpidis *colorem ſanguineum* in *lacteum* conuertit *.

* VOLKMANNVS *Sileſiae ſubterraneae p.* 31. iaſpidis mentionem iniiciens, inter alia his verbis vtitur: *Vm Iena in Thüringen, und Altenburg in Meiſſen bricht ein braun rother Iaſpis.* Noſter ſaepius *ſubrufeſcentis coloris* eſt.

§. 15.

Quamuis iaſpis noſter ſculpturas recipiat, annulisque includi poſſit: ignari *pro ſilice* vtuntur, et ex eo ignem copioſiſſimum eliciunt; quod cauſſa eſt, cur *rother Feuerſtein* appellatur. Simile exemplum de Miſniae vrbis incolis narrat *Encelius Lib. III. de Re Metallica*, quod *iaſpide ſpadiceo loco ſilicis* ad eliciendum ignem vſi ſint, cum hac exclamatione: *O ſancta ſimplicitas Germanorum!* Iaſpidis acuta latera vitrum diuidunt,

quod de adamante nouimus. Tale experimentum etiam cum silicis durioris frustulis acutis facere possumus. Vsus in medicina obseruatur varius, tam *ad sistendum sanguinem*, commendante *Andr. Caesalpino Lib. II. de metallicis Cap. 39.* et *os ventriculi corroborandum*, teste *Agricola de Nat. fossil. Lib. I. Cap. 12.* quam ad *absorbendum*, et *partum difficilem*, *faciliorem reddendum*, si ad femora parturientis alligetur: quae virtus *aëtiti* a vulgo tribuitur, et *Magnetis Helmontius* adscribit. Quid de hac operandi vi statuendum, et quomodo in parturientis corpus agat, partumque acceleret? in *Dissertat.* mea *de superfluis et noxiis quibusdam in chirurgia*, §. *VII. pag. 8.* dilucide explicaui. Laudant etiam magi *sigillum ex iaspide paratum*, *cui Leporis*, animalis fugacissimi, *effigies* insculpta est, *in auertendis abigendisque diaboli insultibus:* quod sigillum a Salomone, Israelitarum Rege, inuentum esse, asseuerant. An vero Diabolus timidi leporis imaginem, et iaspidem fugiat; prudentiores facile capient.

§. 16.

Inter lapides perlucidos merito numero LAPIDEM SPECVLAREM, siue GLACIEM MARIAE, Graecis σεληνίτην, et Germanis *Fraueneiss*, *Marieneiss*, *Marienglass*. Hic lapis cum gypso eiusdem fere naturae est, si excipio, quod gypso perlucidior et purior sit: quod facili negotio probare possum, si lapidem nostrum in Gypsum comburo: et quod natura in terra, ex Gypso puriore, lapidem specularem producat. Reperitur

tur aliquando in agro noſtro in venis Gypſeis, quamuis in fruſtis minoribus. Copioſior autem circa arcem Schwarzeburgicam, cuius fruſta aliquando quatuor digitorum latitudinem ſuperant, et vitro veneto pellucidiora ſunt. Aliquando etiam circa Numburgum vrbem occurrit; *copioſus* vero *in Thuringia ad ſecundum lapidem a Nortbuſa, in Steigera valle: et in Miſena ad Salam,* teſte *Agric. de nat. foſſil. Lib. V. Cap. 9.* Impurus contra ſpecularis lapis eſt, qui prope vicum Pöſenek eruitur, *luteus* exiſtit, et *non admodum perlucidus eſt* *.

* Volkmannvs l. c. p. 51. vbi de *ſelenite* tradit, inter alia haec producit verba: *einen grauen vnd rothen gräbet man bey Iena.*

§. 23.

Ex lapide hoc veteres *feneſtrarum orbes* formarunt, ligno, *plumbo* et *charta* incluſere: quales feneſtras in vicinia noſtra *Merſeburgi, in templo vetuſto* offendit *Agricola*, *confer* eius *Bermannum Cap. 32.* et *de natura foſſil. Lib. V. Cap. 8.* Tales feneſtras in aliis etiam locis vidit *Kentmannus*, qui in *Nomenclat. fol. 32. N. 2.* *Selenitem pellucidum et foſſilem, ex quo in Thuringia, Saxonia et vicinia Marchia orbes fiunt, qui feneſtris inſeruntur*, nobis offert. Cum vero vitrum, ſpeculari lapide multo vilius vendatur, tales feneſtrarum orbes occurrunt rariſſime. Curioſi tamen in muſeis rarioribus et pretioſis, hoc lapide *papiliones*, et *plantas minores ac imperfectas*, nempe *muſcos* et *picturas minores maioresque* includunt,

atque

atque tegunt; taceo, quod aliis vſibus etiam conducat optime. Hic lapis a foeminis et puellis in puluerem teritur, et *loco talci*, faciei ſordes abſtergit, illamque nitidiorem reddit, *confer Agricolam loc. cit.* Idem *Agricola* lapidis ſpecularis *ramenta*, *nucis auellanae quantitate*, *contrita*, ex vino, vt bibantur a Dyſentericis, tutiſſime ſuadet, vide *eiusd. Lib. V. de nat. foſſil. cap. 8.* et in *Bermanno Cap. 32.* omitto reliquas vires, ab autoribus paſſim traditas.

§. 26.

Praeterea RVBINI et HYACYNTHI *minores* aliquando in Salae fundo inter aquas obſeruantur, quamuis rariſſime: quos pretioſiſſimos lapides, et valde exiguos, ad Salae ripam prope Salfediam reperi. De quibus in poſterum. Praetereo FLVORES *rubros*, *ſubcinereos*, *candidos etc.* conſulto, quos aliae occaſioni reſeruo. Rariores ſunt in agro noſtro, frequentiores contra in regione Salfeldenſi.

CAP. VI.

CAPVT VI.

DE
LAPIDIBVS FIGVRATIS
EX LVSV NATVRAE.

§. 1.

Antequam de lapidibus figuratis, tam *ex lusu naturae*, quam *transmutatione* vel *petrificatione*, agam, monere volui, mihi non animum esse, singulos lapides figuris aeneis exprimendi, cum apud *Carol. Nicol. Langium* in *historia Lapid. figurator. Heluetiae: Eduar. Luidium* in *ichnograph. Io. Iac. Scheuchzerum* in variis de hac materia libellis, *Io. Iacob. Baierum* in *Oryctographia Norica*, *etc.* reperiantur nitidis et accuratioribus figuris expressi; sed illos saltim lapides, quorum figuras nullus curiosorum hactenus expressit, proferam: illam quidem ob caussam, vt inutilibus sumtibus, cum editoris vel Bibliopolae, tum ipsius emtoris curiosi, parcam: quia figurae aeneae copiosiores libros reddunt pretiosiores. Interim tamen *figuras*, nostris lapidibus simillimas, ex *Clarissimi Io. Iacob. Baieri Oryctographia Norica*, quae omnibus curiosis in manibus est, huc referam, commemorabo et ad illas lectorem remittam; cuius etiam *methodum*, naturae conuenientissimam, in hoc libello sequar.

Porro

Porro retineo eandem, *Clariſſimi Baieri*, *Luſus Naturae* explicationem optimam.

§. 2.

Exordiar a LAPIDIBVS FIGVRA MATHEMATICA CONSPICVIS, quarum differentiae variae in agris, vineis, montibus, Sala fluuio, Leutra, aliisque riuulis occurrunt copioſiſſime, quales ſunt.

Lapides figura quadrata praediti,
triangulares, angulis acutis et obtuſis.
quinquangulares,
ſexangulares,
figuram Rhomboideam exprimentes,
ouales plani,
pyramidales,
conici,
figuram cubicam referentes,
oblongi etc.

§. 3.

Inter lapides *rotundos*, *conuexos*, *globoſos* et aliquando *oui figuram aemulantes* numero AETITEM, vulgo *Adlerſtein*, *Klapperſtein*; cui varia nomina, pro diuerſitate materiae, quam continet, antiqui Foſſilium ceterarumque Naturalium Inquiſitores diligentiſſimi, *Dioſcoridem* puta, *Plinium Agricolam*, etc. haud inepte impoſuerunt. Simpliciter *Aëtites* dicitur, qui *lapillum* aut *arenam* continet: *Geodes*, qui *terram*, et

et *Enhydros*, qui *liquorem* inclusit. Praeterea reperitur etiam *aëtites inanis*, in quo nihil obseruatur: in aliis contra *lapillus* est, *interiori lateri adhaerens*.

§. 4.

Neglectis nominum deriuationibus, ad locum natalem progressum facio, qui ad montium radices, et ad Salae ripas est. Occurrit enim apud nos (1) *Aëtites asper, durus, ferrugineus, lapillum*, callimum, *continens*, ad Salam: (2) *Aetites cum lapillis, crystalli instar splendentibus, et interiori cortici adnatis*, in Salae ripis: de quo *Agricola de Natura fossil. Lib. V. Cap. 17. Miseno autem ad Salam nato, etc. quia plerumque adhaerent, cum quatiuntur, sonum non edunt. Adhaerescunt vero ad eum, quem gignunt montes ad Salam siti, parui et candidi, ac crystalli instar splendentes:* (3) *Geodes luteus figura ouali, Ochram continens*, ad Salae ripas. De Ochra in Geode, *Cap. IV. §. 6. pag. 46.* dixi. (4) *Enhydros minor, candidus, laeuis et durus*, in Sala fluuio rarissime; qualem non procul a pago Schwarza in Sala reperi. His adiicio aliam aëtitis speciem, *Enorchis* dictam, quae species, nomen a testiculo puerili accepit, et magnitudinem oui columbini aequat, nempe ille lapis, qui inclusus est. Talem inueni in amne *Schwarza*, cuius nomen sit: *Enorchis dura, laeuis.* Vulgaris vis, quae aëtiti a chirurgis, superstitiosis mulierculis tribuitur, est, quod, si brachio alligetur, abortum praecaueat; si femori, partum faciliorem reddat: quam vim, a ligatione femoris, non vero aëtite, oriri, *in Disser-*

Dissertatione mea *de superfluis et noxiis in chirurgia*, rationibus probaui. Huic aëtiti *Valeriola* tantam vim adscribit, vt si in femore post partum alligatus maneat ex obliuione, vterum ipsum extrahat: qualem historiam de *Valentia*, Ponsoni Ionberti coniuge narrat. Sed hanc Valentiam in partu difficili fuisse, ex alligatione aëtitis coniicio. Iam constat inter omnes medicos et obstetrices, partum difficilem, saepissime vteri prolapsum caussari: qui prolapsus vt plurimum motum vehementiorem embryonis, et virium prostrationem sequitur, cui accedit, quod vterus, a motu fortiori infantis expandatur, et ligamenta vteri cum extenso vtero elongentur: quibus fit, vt ligamenta vltra naturalem longitudinem extensa, vterum multo demissius teneant: hunc vteri prolapsum adiuuare solet copiosa aqua in vtero, et extra vterum, collecta. Ex his caussis vteri, aut vaginae vteri prolapsus fit, quamvis in femore nullus aëtites alligatus sit, neque in tota vrbe reperiatur.

§. 5.

Non minus superstitiosa, quam absurda est illa vis, aëtiti a Graecorum monachis tributa, quod furem et furti reos prodat: quod experimentum apud *Petr. Bellonium Obseru. Lib. II. cap. 23.* et *Anselm. Boëtium de Boot Lib. II. de gemm. et Lapidibus cap. 198.* legitur. Alii putant, aëtitem diuitias augere, et amorem conciliare posse. Medici vero, cum particulis terrestribus gaudeat, easdem terrae sigillatae vires in morbis malignis habere dicunt. Plura de hoc lapide narrant, *Guil.*

Guil. Laurenbergius in historica descriptione aëtitis, siue lapidis aquilae, et *Io. Laurent. Bauschius in sched. de aëtite.*

§. 6.

Pertinent ad mathematicas figuras CRYSTALLI, quia Sexangulares sunt, quae rariores inter Salae arenas, aut in aëtite reperiuntur. Maiores vero in fodinis comprariis Salfeldensibus, in primis *in dem St. Iohannesstollen zur Ehre Gottes*, et in regione Reichmansdorfensi, non ita procul a pago *Schmiedefeld* in noua fodina, *der St. Iosephsstollen*, ex qua fodina ipse *Crystallos candidas et pellucidas*, et *luteas* ac *nigras, haud diaphanas* depromsi. Virtutes crystalli omitto, apud autores medicos, et *Boëtium* l. c. legendas: qui *Boëtius* ex crystallis *oleum* et *sal* parandi modum tradit *Lib. II. de gemm. et lapid. Cap. 74.*

§. 7.

BELEMNITES ad *conicas* refertur, qui in vineis nostris et agris reperitur *. Duas belemnitae species in vineis ad viam, qua itur ad pagum *Ammerbach* deprehendi, et figuris et *Clarissimi Io. Iac. Baieri loc. cit. Tab. I. fig. 5. et 6.* exacte respondent. Nolo hic multa de Belemnite differere, quia in agro nostro rarius occurrunt. Confer saepius commemorati *Baieri Oryctographiam Noricam pag. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39.* qui prolixior in hac materia est. Inter conicas figuras numero STALACTITEM siue STA-

LAGMITEM Germ. *Tropfſtein*, in cryptis variis occurrentem, in primis in illis, quae Rodae ſunt.

* Belemnites omnesque lapides, *exceptis dendritis*, qui ſecundum ſeriem a Schütteo electam ſequuntur, *falſo ad luſus naturae referuntur*. Belemnitae *rariſſimi* hac in regione ſunt, *vnicum* tantummodo huius lapidis *ſpecimen* ab amico accepi, qui ſine alueolo eſt, et conicam refert figuram.

§. 8.

A *conica* figura recedit CERAVNIA NIGRA, Germ. *Donnerſtein*, *Donnerkeil*, *Straalſtein*, quia a tonitru in terram deiici creditur. Cuius varietates duas apud nos reperi, vnam *cum foramine*, alteram *ſine foramine*, quas *Illuſtris Georg. Wolfgang. Wedelius*, in vineis repertas a ruſtico accepit, mihique oſtendit. Creditur, hunc lapidem in nubibus ex particulis lapidoſis et metallicis, a ſolis radiis cum aquis in altum ſublatis, generari, et nubium motu perpetuo vehementiorique ita comprimi, et ſolis reliquarumque ſtellarum calore in ſolidiſſimum corpus indurari: quod duriſſimum et lapideum corpus tandem nubes rumpat, magnaque vi et ſtrepitu in terram decidat, et obſtacula proſternat. Cum vero certae ac determinatae figurae in ceraunia obſeruentur, quae *malleo* et *cuneo* propriae ſunt, hunc lapidem, non *luſu naturae* in nubibus; ſed *arte factum* eſſe, coniicio. Illa enim *ceraunia* ſpecies, quae *mallei figuram refert*, perforata eſt, et foramine, in vno latere ampliori, in altero vero anguſtiori conſpicua; quale foramen in mallei

leis ferreis eſt. Haec mallei figura cum foramine, cauſſa eſt, cur exiſtimem, lapidem hunc a veteribus ita formatum eſſe, vt mallei, aut alius inſtrumenti vices obeat. Nulla enim ratione explicari poterit, *quomodo nubes hanc mallei figuram, cum foramine penetrante efformet:* et ſi aëris motum, nubiumque preſſionem ab omni latere ſtatuerimus, *cur non rotundus, aut teres lapis fiat, nullo foramine notatus?* aut *quae ſit perforationis cauſſa*, et *quodnam inſtrumentum, quo perforetur?*

§. 9.

Altera cerauniae noſtrae ſpecies, *cuneum* refert *arte factum* *. Veriſimilior eſt ſententia mea, quod hic lapis a veteribus ex duriſſimo lapide confectus ſit, vt in *findendis lignis*, quando ſecuri prius fiſſura facta eſt, adhiberi poſſit, aut *ad polienda metalla* conducat, quod de haematite nouimus, aut ad *alios vſus, nobis incognitos.* Obiiciet quis, *plerumque* (quamuis non ſemper) *cerauniam in illis locis, aut non procul ab iis, quae fulmine tacta ſunt, reperiri:* Cui reſpondeo, quod *ab aliquando* ad *ſemper nulla valeat conſequentia;* ſed quod forte talis lapis a multis annis, aut ab inundationibus, aut ab aliis illatis ruinis etc. in terra abſconditus iaceat, aut vomere ex agro erutus ſit, et poſt illata a fulmine damna, quae diligentius inquiruntur, reperiatur. Reperiuntur etiam cerauniae in agris, vineis et fluminibus nullo fulmine tactis.

g 2 §. 10.

* *Goslariae* hanc cerauniae ſpeciem, quam adduxit *clariſſ.* auctor, vidi; haec cuneum arte factum

ctum exacte repraesentabat. Ceterum rationi conuenientissima sunt, quae item in praecedenti et hoc §pho protulit. Confer, si ad manus est, *dissertationem physicam* de *telo fulmineo* docte conscriptam et a *clarissimo* LAVE *a MDCCVI. Lipsiae editam*, vbi sententiam inuenies, cuius patronus est auctor. Vid. quoque *celeberrimi* HENCKELII scriptum, *kleine mineralogische Schriften* nominatum, quod inter *praestantissima* locum obtinet, secundi tractatus §. 52. et 53. pag. 340. cum accessione, qua dictos §phos p. 375. sq. adornauit CAROLVS FRIDERICVS ZIMMERMANNVS.

§. 10.

Haec de ceraunia habui, et *Lectori curioso* communicare volui, non vt meam sententiam atque opinionem illi obtrudam, tamquam certissimam, sed probabiliorem et rationi conuenientiorem. Si quis vero certiorem, ratione physica, aut experimento quodam probatam tradiderit, illi minime inuidebo; sed prolatam in publicum, tam cupide, quam amice suscipiam. Vulgus credit cerauniam fulminis tactum a domo, in qua est, auertere, etc *.

* Hoc superstitionem redolet, et falsissimum est. Videsis diss. in praecedente animaduersione citatam.

§. 11.

ASTERIAE vel STELLARES aut ASTROITAE sequuntur; quos in *lapide duro, polituram recipiente, collectos*, vidi inter curiosa *Clarissimi* TEICHMEYERI, *Physices experimentalis Professoris in Ienensium Academia, Fautoris aestumatissimi.* Hi Astroitae in agro nostro reperti

perti ſunt, quamuis rariores ſint, quorum figurae exacte reſpondent *fig. 12. et 13. Tab. I. Oryct. Noricae Io. Iacob. Baieri.* Nullum vſum in mechanica et medicina praeſtant; ſed a curioſis ad oculi delectationem colliguntur.

§. 12.

Sequitur iam *altera ex naturae luſu figuratorum claſſis*, in qua LAPIDES, QVI VEGETABILIA ET ANIMALIA, AVT EORVM PARTES REFERVNT, ad quos pertinet DENDRITES, *ſiue lapis, arbores minores, muſcos etc. referens:* quales *in lapide albo fiſſili* ad radicem montis Hausbergi, verſus pagum *Ziegenhayn* reperi *. Multo vero elegantiores ſunt, quos Salfeldiae ad fodinam argentariam, *das Hauſs Sachſen*, in Silice vidi. In Silicibus Salfeldenſibus illud peculiare obſeruaui, quod ſemper, in quo latere lapidis fiſſio etiam fiat, aut, ſi minorem lapillum decuſſerim, perfecta arbuſculi aut muſci figura conſpiciatur. Praeterea in his ſilicibus *minores ſoles et ſtellulas* videre licet.

* *Dendrites*, quem ego poſſideo, *non adeo* eſt *elegans. Rariſſime* elegantia, et admiratione digna huius luſus naturae exemplaria *in hoc territorio reperiuntur.*

§. 13.

LAPIS IVDAICVS in monte *der Steiger* a me repertus eſt, cuius figura *Boët. de Boot l. c. fig. 3.* haud abſimilis. *Langius Part. I. pag. 315. in materia medica* lapidis iudaici mentionem facit,

cit, in Thuringia circa *Neilſtädt* et *Langenſalza* vrbem reperti. Omitto reliquos lapides, variorum fructuum, PYRI, POMI, PRVNI etc ſpeciem aemulantes, quos partim ad Salam et alios riuos, partim in agris et vineis, aut montibus deprehendere licet. Hucetiam refero CVPRI MINERAM VIRIDEM, BOTRYTEM, ſiue *vuas multas, racematim ſibi adhaerentes* referentem, quam mineram ex fodina *der Hauptſchlüſſel*, prope pagum *Köniz*, in Ducatu Schwarzenburgico depromſi.

§. 14.

Progredior ad illos LAPIDES, QVI HOMINVM ANIMALIVMQVE CORPORA REFERVNT: inter quos numero illum lapidem, cuius *Agricola Lib. V. de Natura Foſſilium cap. 5.* meminit, qui Salfeldiae, in vicinia noſtra repertus eſt, et FIGVRAM PECTORIS CVIVSDAM HOMINIS REPRAESENTAVIT, de quo loco citato Agricola: *At Salfeldiae in Thuringiis, ex puteo viginti duas orgyas* (Lachter) *alto, effoſſus eſt Lapis, qui ſolidi pectoris ſpeciem prae ſe ferebat, longus ſesquipedem: latus palmas tres; craſſus anteriori parte, vbi coſtae terminabantur, digitos ſex; poſteriori, vbi erant vertebrae mediae perforatae, tres; Sed ſpina vacua erat ab eo, quod medullam exprimeret: extrinſecus autem lapidi color inſidebat, aut niger, aut rauus: intus lapidis arabici ſimilis. Verum hunc natura ſingularem procreauerat.*

§. 15.

Porro LAPIS PEDEM HOMINIS AM-

PVTA-

PVTATVM REFERENS, vbi monendum, *quod hic lapis naturalem hominis viui magnitudinem adaequet, durus et luteo colore tinctus sit.* Hunc lapidem in planitie illa, quae circa famosissimum diuersorium *das Luftschif* est, inueni *.

* *Huius lapidis effigies aeri incisa* ab hac editione remota fuit, quia superflua visa. Hic et sequentes *Schütteani* lapides potius *ludibundi ingenii foetus* sunt, quam *veri lusus naturae.* Hodie ab eruditis non adeo rari iudicantur, vt summa essent admiratione digni. Ex iisdem nullus quoque vsus redundat in res familiares. Si nihilo minus fautor horum *casu fortuito* figuratorum lapidum es, confer BRÜCKMANNI *Thesaurum subterraneum Ducatus Brunsuigii Tom. I. p. 71.* vbi tractat *von steinernen Füssen vnd steinernen Schubleisten: Tab. XIV. sistit* figuratorum horum lapidum *figuras.* VOLKMANNVS in *libro citato Tab. V. fig. 5.* in *icone exhibet lapidem pedem humanum prae se ferentem*, vt alios silentio premam.

§. 16.

LAPIS OS ILEI ISCHEI et PVBIS REFERENS non procul a pago *Glicerode*, inter alios lapides a me visus, et repertus, qui etiam naturalem fere magnitudinem aequabat *.

* Haec quoque figura omissa est ob caussam ante dictam.

§. 17.

Separatim vero contemplandus est ille LAPIS, in quo TVLIPA, AVES, HORRIDA VIRI BARBARI FACIES, Germ. *ein Fratzengesicht*, FOLIORVM RAMIFICATIO (*Laubwerk*) INFANS DEXTRA MA-

NV CAPVT FVLCIENS, conſpiciuntur*. Sed has figuras, conchilia diuerſae magnitudinis, et lapilli in cryſtallos mutati, ita formarunt, vt non ſine curioſorum admiratione examinari poſſint; quem lapidem mihi humaniſſime communicauit *Excellentiſſimus* HERMANN. FRID. TEICHMEYERVS, *Phil. et Medic. Doctor, Phyſic. Experimental. Profeſſor ordinar. et Medicinae extra ordinem, in Academia Ienenſi, Fautor aeſtumatiſſimus.*

* Et haec *figura* omiſſa eſt. Si eiusmodi lapides, qui *humanam referunt faciem hirſutam* |*cum et ſine promiſſa barba*, tibi ſunt oblectamento, eorum *imagines aeri inciſas* reperire poteris in *Volumine ſeptimo Actorum Academiae Naturae Curioſorum Tab. VIII. Fig.* 1. *et* 2.

§. 18.

LAPIS OS FRACTVM REFERENS, vulgo OSTEOCOLLA, qui propter figuram oſſis fracti, et virtutem fracta oſſa conglutinandi, a Germanis *Beinbruch, Bruchſtein, Beinſtein* * appellatur. Reperitur ſaepius in agris noſtris ac vineis; virtutes huius lapidis apud Medicos et Chirurgos leguntur, et apud *Anſelm. Boët. de Boot, in Gemmar. et Lapid. Hiſtor. Lib. II. cap.* 234. *et* 235. vbi mirabilia de hoc lapide narrantur: quae ex *Mathiolo* et *Quercetano* deſumta ſunt. Minime vero his autoribus credere poſſum, quod oſteocolla, mane et veſperi ad ſesquidragmam in vino aſſumta, multo minus vna oſteocollae drachma in vino rubro propinata, intra tres quatuor aut quinque dies oſſium fracturas curet. Sed potius

tius cum *Hildano*, hanc, tam cito conglutinandi vim, in dubium voco, qui in *Obseruat. Chirurg. Cent. III. Obseru. 90.* hoc iudicium de ea vi fert, cuius verba sunt: *Ego, etsi ipsum* (scil. Lapidem) *in fracturis ossium praestantissimum esse, in controuersiam vocare minime contendam, attamen intra tam paucos dies, vt scribunt Mathiolus et Quercetanus, ossa fracta, sanare posse, non facile mihi persuadere possum.* De hoc lapide denique monendum est, quod quidam curiosorum illum inter ossa petrifica referre velint, atque numerent: quia ego vero talia indicia, in hoc lapide nondum obseruaui, merito inter lapides, ex naturae lusu figuratos, pono.

* *Beinstein* mea quidem sententia non est *aptum translatitium* osteocollae *vocabulum. Osteolithus* germanice transferri debet *Beinstein*, sed non *osteocolla*. Distinguendum itaque est inter osteocollam et osteolithum; prior lapis a recentioribus inter *incrustata tophacea* et *tophaceo-arenosa* vt plurimum *recenseri solet*, alter vero lapis locum inter *petreficata e regno animali* iure occupat. Sub nomine osteocolla comprehenduntur etiam a non nullis petrefactae arborum fruticumque radices, sed non optimo iure, etenim hae magis aptiore nomine *Rhizolithi*, *versteinte Wurzeln* oder *Wurzelsteine* donari possunt: tophi vel *simplices*, vel *simul arenosi*, *ossis fracti faciem prae se ferentes*, mea quidem opinione sibi *vindicant osteocollae vocabulum.* Hic vidi verum *osteolithum* siue *os petrefactum*, germ. *Beinstein* oder *versteinerter Knochen*, haud procul a *Bucha* repertum. Huius petrefacti matrix est *naturae marmoreae.* Matrices cornuum Ammonis, quae hic reperiuntur, sunt quoque vel *calcareae*, vel *marmoreae indolis*, id quod *obiter* attingo.

 §. 19.

§. 19.

Vltimus huius classis MYITES est, vel *Lapis, muris sedentis, seque contrahentis, figuram repraesentans*, Germanice *Mäusestein* *; quem lapidem, quamuis hactenus non viderim, tamen inter nostros numerare volui, quia *Kentmanno* et *Albino* testibus, loco citato in Thuringia reperitur: quare curiosos ad quaerendum inuito. Omitto reliquas in lapidibus figuras, ex conchiliorum et lapillorum variorum congerie ita formatas atque compositas.

* Hic lapis quoque locum habet inter *ludibundae phantasiae imagines*, de quibus latius dicere non est operae pretium.



CAP. VII.

CAPVT VII.

DE LAPIDIBVS EX QVORVNDAM VEGETABILIVM ET ANIMALIVM MVTATIONE FIGVRATIS *.

§. 1.

HActenus de *lapidibus nulla certa figura gaudentibus*, et *ex naturae lusu figuratis*, dixi. Sequitur iam ordine tertium genus *Lapidum, ex transmutatione vegetabilium, animaliumque figuratorum.*

* Amicus lector hic praemonendus est, nostrum SCHÜTTEVM in *proponendis petrefactis rem non acu tetigisse*; alio loco de his *latius* dicturus sum, quam ob rem non est, cur multa heic loci praemoneam. Petrefacta, quae ad celeberrimum hoc sapientiae emporium inueniuntur, *plerumque metrolithi s. nuclei lapidei sunt*, *rarius* autem *occurrunt vera petrefacta*. In non nullis chamis striatis et laeuibus signa *verae petrificationis* animaduerti. *Typolithi conchyliorum*, v. c. chamarum striatarum *haud raro* his in locis reperiuntur.

§. 2.

Antequam vero de his lapidibus ago, cui Sectae me addixerim, cuique rationi meam senten-

tiam

tiam ſubſcripſerim, dicturus ſum. Conſtat, diuerſas ſententias de his lapidibus in publicum prolatas eſſe, quarum *prior* ex *naturae luſu hos ita formatos eſſe* ſtatuit: *altera* vero *per Seminium quoddam occultum in terra generari ac propagari* hoc lapidum genus, tradit; *vltima* denique *Diluuii Vniuerſalis* (cuius mentionem facit Sanctus ille Vir MOYSES, *Gen. VII.*) *monumenta exiſtere* credit. Cum vero *primam ſententiam* refutent exempla quotidie fere reperta et reperiunda, et *altera* minime rationi conueniat, nullaque cauſſa, nullusque modus euidenter probari ac demonſtrari poſſint, et *vltima* probabilior ſit, multisque experimentis comprobata, eam optimam ac veriſſimam pronuncio. Nolo hic cauſſas et modum mutationis animalium et vegetabilium in lapides explicare, quia alii autores ſat prolixe de his egere; quorum facile princeps eſt IO. WOODWARDVS; quem ſequuntur IO. IACOBVS SCHEVCHZERVS, IO. IAC. BAIERVS, DANIEL SIGISMVNDVS BVTTNERVS, et alii. Sententiam horum Virorum Curioſorum roborant *conchylia petrificata*, *piſces* in lapides mutati, in quibus *ſquamae diſtinctae* conſpiciuntur, vel *ſceleton* cum *cauda* et *capite* evidentiſſime obſeruantur, *cancri petrefacti*, in quibus *chelae* adhuc rubent, *araneae etc.* Vegetabilia petrificata etiam ex fodinis Manebacenſibus copioſe eruuntur, in quibus *fibrae plantarum*, *figurae* nitidae, ſatis diſtincte conſpiciuntur, quales plantae ſunt: *Arundo vulgaris*, *polypodium*, *filix mas et foemina*, *Equiſeti*

diuer-

diuerſae ſpecies, *etc.* Qui vero de huius rationis veritate dubitat, legat iam laudatorum virorum libros, de hac materia conſcriptos, hosque lapides paullo diligentius inſpiciat, in primis vero illa ſpecimina, quae ſemipetrificata ſunt.

§. 3.

Quamuis iam certum ſit, quod multa animalia atque vegetabilia, in lapides conuerſa, Diluuii vniuerſalis monumenta ſint, tamen maxime probabile, et rationi conſentaneum eſſe mihi videtur, etiam quaedam animalia aut vegetabilia petrificata, in certis regionibus reperta, a particulari inundatione, in illa regione ante multos annos obſeruata, aut a quodam terrae motu maiori deriuare voluiſſe. Magnae enim inundationes certas aut regiones diluendo euertunt, quarum triſtiſſimum exemplum de Friſia Orientali noſtra memoria nouimus omnes. Non dicam de inundationibus aliarum terrarum, v. gr. Italiae, etc. aut inſularum; neque recenſebo varias veterum hiſtorias.

§. 4.

Lapidibus vere petrificatis praemittam *illa corpora*, *quae topho ſaltim incruſtata ſunt*, *et lapidis figuram referunt*, quamuis vegetabilium textura et fibrae non prorſus immutatae ſint; ſed topho ſaltim tecta, longo tempore vero in lapides mutantur. Specimen tophaceae incruſtationis eſt MVSCVS PETRIFICATVS, vulgo ſic dictus, qui in fonte *Fürſtenbrunn* cuius memini in Cap. III. §. 18. 19. et 20. pag. 30. et 31.

occur-

occurrit. Reperitur etiam aliquando in Gembda, quod loc. cit. §. 17. pag. 61. dixi: Sic etiam prope Vinariam in riuulo quodam mufcum, gramina atque folia arborum topho obducta, vidi. Porro in fonte noftro *Fürftenbrunn* occurrunt

GRAMEN PETRIFICATVM,

ARBORVM RAMENTA VARIA PETRIFICATA,

FOLIA SALICIS PETRIFICATA,

FOLIA ALNI.

Sed FOLIVM FAGI PETRIFICATVM reperi *in der Ziske* *.

* Haec corpora *rariffime* obferuantur *petrificata*, fed *materia tophacea tantum incruftata.* Repete quae fupra iam pag. 62. et 64. propofui. Foliorum *ectypi*, nec non radicum, *bloße Abdrücke von Blättern vnd Wurzeln* in maxima copia circa fontem FÜRSTENBRVNN et riuulum GEMBDE reperiuntur, et effodi poffunt. Hi *nitidi* funt et *oculos delectant. Ienenfe* territorium *exuberat aquis* fic dictis *lapidificis* f. *tophaceis. Aquae ftalactiticae in cryptis fubterraneis animaduertuntur*, de quibus *alia in opella prolixius agam.* Interim doctiffima funt, quae de aquis tophaceis paffim habet IO. IAC. BAIERVS in *oryctographia Norica editionis nouiffimae*, quae *Norimbergae* a. CIↃ DCC LVIII. in folio in lucem emiffa eft. *Pulcerrima funt*, quae de his et de aquis ftalactiticis *folide* produxit *doctiffimus* ac *folertiffimus rerum naturalium indagator* FRIDER. AVG. CARTHEVSERVS in *rudimentis hydrologiae fyftematicae* pag. 23. et fequentibus.

§. 5.

Vera autem *Petrificata vegetabilia* funt, v. gr.

LITHO-

LITHOXYLA, quorum non multa in agro noſtro vidi *. Praeter illud *Lithoxylum*, ſiue *lignum petrificatum*, cuius *Mylius in muſeo ſuo* mentionem facit, quod ex ſala noſtra delatum ſit, a me ELATITES, ſiue *lignum abiegnum petrificatum*, ex terra non procul a pago *Reichmansdorf* erutum, obſeruabatur quamuis paruum, fragmentum fuerit. DRYTES vel *lignum quercinum in lapidem mutatum*, ante paucos annos in vicinia noſtra prope Leucopetram reperiebatur, in mola quadam. Haec ſunt *Lythoxila* noſtra, quot hactenus mihi videre contigit. Ceterum de lignis in lapides mutatis, iam dudum peculiaris liber prodiit, cuius inſcriptio: *Franceſc. Stelluti Trattato del legno foſſile minerale nouvamente ſcoperto, vel quale brevemente ſi accenna la varia, et mutabil natura di detto legno etc. in Roma 1637. fol.*

* *Nitidum lithoxyli ienenſis ſpecimen* in amici *aeſtumatiſſimi* oryctophilacio hic *contemplatus ſum* non ſine magna admiratione, qua dignum animaduerti naturale hoc corpus.

§. 6.

Progredior ad ANIMALIA PETRIFICATA. Horum praeter conchilia nullum vidi, ſi excipio, quod in vicinia agri noſtri, prope *Tonnam* vrbem TOTVM fere VNICORNV SCELETON PETRIFICATVM ex arenoſa marga erutum ſit: de qua Spectatiſſimi ac grauiſſimi Medicorum Gothanorum Ordinis Tractatus Germanicus ac Latinus prodiere, in quibus *Guilielmi Erneſti Tenzelii* ſententia, quod Elephantis ſceleton fuerit, ſolide refutatur. Huic Vni-

Vnicornu Fossili non multum dissimilia sunt OSSA PETRIFICATA, quae in praeterito anno non ita procul ab Erfurto, inter pagos *Kinhausen* et *Tieffenthal*, rusticus aratro ex agro eruit. Non possum certo haec ossa inter vnicornu fossilis fragmenta ponere, vel illis adnumerare, quia parua saltim fragmenta apud *IO. BERNHARD. ZIEGLERVM, Med. Doct. et Physicum Territorialem Erfurtensem*, vidi. Interim tamen colore et sapore parum aut nihil a vero vnicornu discrepant *.

* Confer, si lubet, *illustris* BAVMERI, *quem supra iam honoris caussa nominaui, mineralogiam territorii Erfurtensis*, qui sat *docte Erfurtensia fossilia* in dicta hac commentatione *pertractauit*, cuius *nouam* et *emendatiorem* sub tractatus forma *editionem laetus expecto*.

§. 7.

Transeo ad CONCHILIA PETRIFICATA, et quidem 1. ad VNIVALVIA: quorum species, quae apud nos occurrunt, sunt: *Cornua Ammonis seu Nautilitae, Buccinitae, Cochlitae* et *Echinitae*. Nautilitarum, vulgo Cornuum Ammonis in agro nostro, primum specimen est NAVTILITES *superficie leui, lineis simplicibus, vndosis*, cuius nitida figura apud *Baierum* loc. cit. *Tab. VI. fig. 8.* conspicitur: Hanc speciem Ienae, non procul a domo illa *das Iaegerhaufs* inueni, et Erfurti *vor dem Schmelzerthor*, ac Gothae *in dem Schlofsgraben*. Alterum specimen est CORNV AMMONIS siue NAVTILITES *leui superficie et lineis flexuosis*,

xuosis, profundius insculptis: cuius lapidis vnum exemplar non procul a fonte *Fürstenbrunn* reperi, plura vero Erfurti *bey der Cyriacksburg, vnd an der Gera vor dem Thore,* et Gothae *in des Schlosses Grimmenstein Graben.* Faciem horum lapidum in *Baieri Oryctograph. Norica Tab. VI. fig. 9.* quodammodo adumbrat, quamuis noster lapis hanc figuram magnitudine ad sextam fere partem superet. Tertium vero specimen est CORNV AMMONIS *verrucosum:* cuius imaginem exprimit *Baieri* cit. *Tab. II. fig. 14.* quod *an dem Steiger zu Iena; vor dem Brühlerthore zu Erfurt, an der Cyriacksburg; zu Gotha in dem Schlossgraben, bald in der Gegend der Vogelstangen* deprehenditur.

§. 8.

Sequntur BVCCINITAE. Huius lapidis duas diuersas species in regione fontis, *des Fürstenbrunnen*, reperi. Naturalis huius Buccini figura, (ante petrificationem puta) videre licet in MARTINI LISTERI *Histor. Conchil. Lib. I. Sect. I. Num. 3.* cuius nomen est: *Buccinum admodum tenue, circiter quinque spirarum.* Secundae speciei figuram etiam apud *Listerum* loc. cit. *Num. 20.* vide, cuius nomen: *Buccinum paruum ventricosius, ad modum dolioli, ore angusto.*

§. 9.

Breuiores vero et ampliores sunt COCHLITAE. Variae huius generis species in agro nostro occurrunt, in primis in fonte *Fürstenbrunn*,

et ad eius ripas. Nolo hic diuerſas ſpecies recenſere, ne nimis prolixior ſim.

§. 10.

Rotundi vero ſunt et helicibus carent ECHINITAE, Germ. *Knopfſteine:* quorum duas diuerſas ſpecies vidi. Primam in vinea ad viam, qua itur ad pagum *Ziegenhayn*, reperi, et regularis eſt, cuius figuram accurate exprimit *Baieri fig. 33. Tab. III.* Altera vero, et omnium quotquot hactenus vidi, maxima eſt, quam apud *Illuſtrem G. W. WEDELIVM* vidi.

§. 11.

Reſtat *II. Conchiliorum petrificatorum Claſſis*, in qua agitur de BIVALVIBVS, qualia ſunt in noſtro agro: *Conchites*, *Mytilites*, *Pectunculites et Bucardites.*

CONCHITES maximus, margine lato, et ad alteram eius partem ſinu amplo, ſtriis longitudinalibus et tranſuerſalibus, in der Welmſe repertus eſt; cuius faciem, ſi excipio quod paullo maior ſit, *Fig. I. Tab. IV. Baieri* exprimit.

MYTILITES minores, vulgares fluuiatiles, confer Tab. IV. fig. 5. et 6. loc. cit. circa Coſpeda pagum, et in monte prope *Lobeda* vicum.

MVSCVLITES vulgaris, in radicibus montium *Kirchbergi* et *Hausbergi*, verſus pagum *Ziegenhayn* etc. circa *Vinariam*, et circa Erfurtum, inprimis vero ad montem *Petersberg*, Gothae in Sebergi lapidibus quibusdam.

§. 12.

§. 12.

Non minus etiam PECTVNCVLITAE et PECTINITAE apud nos occurrunt, quorum species diuersae magnitudinis inter rariora sua seruat, *Excellentissimus* *GEORG. CHRIST. TITIVS, Med. Doct. Comes Palat. Caesar. et Consiliar. Schwarzeburgicus.* Has species et prope pagum *Gleina*, vulgo *Kleine*, in agris collegi. Erfurti etiam occurrunt.

§. 13.

Agmen denique claudunt BVCARDITES a figura sic dicti, veteribus et non nullis HYSTERAPETRAE et HYSTEROLITHI, quia muliebre pudendum exprimunt *. Meus *Bucardites*, quem non ita procul a fonte notissimo *Fürstenbrunn* reperi, nihil aut parum a *figura 21. Tab. IV. Oryctographiae Baierianae* differt. Tantum de lapidibus ex transmutatione figuratis.

 CAP. VIII.

* Hic *error* latet. *Minus recte bucarditem et hysterolitum pro synonymis habet* SCHÜTTEVS. Inter vtrumque *magnum* intercedit *discrimen*. WOLFARTVS quidem in *historia naturali Hassiae inferioris p. 29.* putat, *hysterolithum* esse *nucleum conchae bucardites* dictae, cuius ad sententiam praeter BAIERVM noster accessit auctor: eandem sententiam fouet IO. GESNER in *Tractatu doctissimo de petrificatis* p. 38. at enim vero si res ita esset comparata *bucardites* et *hysterolithus* s. hysterapetra vel hysteropetra essent *vera synonyma*, id quod non nulli, vt ait SCHÜTTEVS, statuunt, verum res *paullo aliter*

aliter comparata eſt. De qua tamen fuſius explanandi hic non eſt locus. *Concham biualuem marinam*, quae *concha venerea rectius nominatur*, *corpus hyſterolithi originarium* eſſe, equidem ſtatuo; *concham hanc in originali*, *vt aiunt*, *hic poſſidet Experientiſſimus Doctor* FVCHSIVS. *Externa facies hyſterolithi non eſt congrua cum illa*, *quam bucardites repraeſentat: certum eſt*, *horum lapidum corpora originaria* (DIE ORIGINALE) *non eſſe vnius eiusdem ſpeciei.* De hyſterolithis lectu digniſſima ſunt, quae propoſuit b. BRÜCKMANNVS in *Tom. I. Theſauri ſubterranei Ducat. Brunſuigii* pag. 19. ſeq. item FRISCH in *Muſeo Hoffmanniano* p. 70. LESSER in *Lithotheologia* p. 787. VOLKMANNVS in *Sileſia ſubterranea* p. 69. VALENTINI in *prodromo hiſtoriae naturalis Haſſiae* p. 16.

CAP. VIII.

CAPVT VIII.

DE

SALIBVS.

§. 1.

DE Salibus iam acturus, moneo, me non omnia Salia, quae ex combustis rebus variis, animalibus, vegetabilibus etc. produci possunt, ad hoc Salium Caput referre; Sed illa tantum, quae ex aquis salsis, aluminosis, nitrosis etc. coquuntur, aut ex terris et lapidibus, cum lixiuio extrahuntur, et calore denique inspissantur, qualia sunt: *Sal vulgare*, siue *commune*, *Nitrum*, *Alumen* et *Vitriolum*.

§. 2

SALIS, quo vtimur ad condiendum, Graecis ἅλς, German. *Salz*, *Küchensalz*, tria genera in orbe sunt: *Fossile*, *Marinum* et *Lacustre* *. Quamuis in agro nostro Salis scaturigines deficiant, nullumque Sal fodiatur aut coquatur, defectum nostrum vicinorum Salibus, et paruo pretio, supplere possumus. Copiosum enim coquitur *Halae Hermundur*, de quo peculiaris libellus prodiit; *Franckenhusae*, et aliis in locis. Cum in

 agro

agro nostro nullus Sal sit, lubens eius virtutes praetereo.

* Aqua muriatica f. salsa, *Küchensalzwasser* oder *Sole*, in qua solutum haeret Sal culinare, a scriptoribus hydrologicis in *quatuor species* diuiditur, 1) in aquam muriaticam fontanam sine nitro: 2) in aquam muriaticam fontanam cum nitro remixtam, huius exemplum praebet *fons muriaticus*, qui *proxime ad Smalcaldiam scaturit*, de quo in *meinen Merkwürdigkeiten der gethanen bergmännischen Reisen*, Deo volente, *latius* commentaturus sum: 3) in aquam muriaticam marinam et 4) in aquam muriaticam lacustrem. Ecce hic *cognationem regni aquei cum lapideo*, immo *plenariam coniunctionem vnius cum altero!*

§. 3.

A Sale non multum recedit NITRVM, quod copiosum in Thuringia coquitur, et in agro nostro reperitur in illis locis, in quibus ex animalium et vegetabilium regnis putrificatio fit. Sic etiam ex vrina in fimetis, stabulis etc. Copiose coquitur Nitrum Numburgi extra vrbem, et Gothae ac in aliis Thuringiae locis, vbi ex terra cum lixiuio elicitur. De hac Thuringiae terra nitrosa *Kentmannus in Nomenclat. fol. 3. Num. 40.* glebam ostendit, cum his adiectis verbis: *Terra Nitrosa Thuringica, quae in multis locis corticem terrae occupat. Vnde vix vllibi plures officinae nitrariae, vt Mersburgi et Erfordiae, item in villis Salpetrisch Erde.* Cuius varietas est *Terra Nitrosa sterilis, quam Thuringi Schalk, quasi nequam, nominant.* Confer Kentman. loc. cit. N. 41.

§. 4.

§. 4.

Omitto coquendi parandique modum consulto, qui ab aliis Autoribus traditus est. Nitri vires variae sunt, nempe ad foecundandos agros, metallorum solutionem, fusionem et depurationem etc. Praetereo composita a pharmacopoeis parata.

§. 5.

VETERVM APHRONITRVM, in vicinia agri nostri *Leucopetrae* reperitur, *GVNTH. CHRIST. SCHELHAMERO* teste, *in Comment. de Nitro Cap. III. p.* 43. qui inquit: *Est et oppidum Germaniae*, (vel potius vrbs) *Serenissimi cuiusdam Saxoniae Ducis sede celeberrimum*, Leucopetra, Germ. *Weissenfels, ad Salam fluuium, alta sub rupe situm, ex qua ei arx principalis imminet. Heic in Domo Reuerendi Ser. Principis Confessionarii cella est profundissima, quippe ex tribus infima, quae simul altissimo fornice gaudet, tota in saxo excisa, e cuius summo per stirias excauatas, tandemque cadentes aqua continue depluit, quae vbi fundum attingit, in nitrum vertitur, durum, saxeum, vt malleo vix obtemperet; termini huius cellae, qui parietum sunt; prorsus vt vix rupis aliquid appareat. Hoc veterum esse aphronitrum nullum dubium est; nam ardet igni admodum stridetque.* Tantum hac vice de Aphronitro *.

* De aphronitro *ienensi auctor* nullam fecit mentionem: ego quidem de *embryonato* hoc *nitro*, quod in subterraneo, *Teuffelshöhle* oder *loch* nominato, obseruatur, alio *magisque idoneo* loco dicturus sum.

§. 6.

Sequitur ALVMEN, quod non ita procul a Salfeldia, *bey den Alaun- und Vitriolhütten*, ex lapide nigro fiſſili elicitur, quibus ſpelunca aluminoſa adiacet, ex qua lapides eruuntur. Reperi etiam in praeterito anno in hac ſpelunca *alumen natiuum.* Porro in Vogtlandia ad vrbem *Plauen*, ex terra coquitur. Aluminis, tam Salfeldenſis, quam Plauienſis *Agricola de Nat. Foſſil. Lib. III. Cap. 12.* et *Lib. X. Cap. 18.* meminit. De Alumine fuſius agam alia occaſione. Tinctores alumine vtuntur in tingendis lanis et pannis, vt facilius colores recipiant, et diutius ſeruent: ſic etiam vſum habet in tingendis coriis etc. Omitto virtutes medicas, apud Medicos quaerendas.

§. 7.

Non multum ab ALVMINE diſtat VITRIOLVM, quod in eodem fere loco ex lapidibus cum lixiuio elicitur. Inter *Reichmannsdorf* et fornacem vitrariam, *Glaſshütte*, etiam vitriolum coquitur, quod multo fortius ac citius corrodit, quam prius, ita quidem, vt ad tingendum ſericum minime conducat, ſed illud potius corrodat. Plura de Vitriolo ſuo tempore.

CAP. IX.

CAPVT IX.

DE

METALLIS ET MINERALBVS.

§. I.

Restat vltimum libelli Caput. Antequam vero ad Metalla progrediar, me excusabo, cur promissa mea non seruauerim? promiseram enim in relationibus praeteriti anni, quod Oryctographiae Ienensi accuratam Rei Metallicae Salfeldensis Historiam adiungere velim. Cum vero (1) inter elaborandum metallorum opus in magnam molem accresceret, et quidem tantam, vt haud commode a Studiosis Ienensibus per campos, et montes portari posset (2) quaedam de ortu, et progressu historiae mihi deficerent, 3) paucos in Re Metallica curiosos esse, animaduerterem (4) hanc Historiam ad Ienensem agrum minime pertinere arbitrarer, et (5) vt eandem historiam, in metallicorum, reique metallicae peritorum vsum, sermone Germanico conscribam, quidam me rogarent, caussa fuit, cur alii occasioni, et quidem commodiori (si Deus vires, sanitatem, atque tempus concesserit); reseruo.

Interim tamen extra agrum noſtrum aliquando vagabor, quod ſaepius conſulto feci, fodinarumque Salfeldenſium mentionem faciam.

§. 2.

AVRVM, Metallorum optimum et pretioſiſſimum, in *Sala* flumine et *Schwarza* amne *reperitur*: *Reichmannsdorffii* vero, qui pagus vltra milliare a Salfeldia diſtat, *ex monte eruitur*, et ex contuſis lapillis coquitur.

§. 3.

Aurum, quod in *Sala* reperitur, *ſtatim ſuum eſt*, vulgo *gediegen Gold.* Hoc aurum ex Shwarza cum fluente aqua in Salam delatum eſſe, multi credunt, quod *Cap. III. §. 8. et 11. pag. 57. ſq.* monui. Nam teſtibus *Syluestr. a Lieben* in Manuſcripto ſuo, *IO. GEORGIO KEYSERO, Med. Doct. Phyſico Salfeldenſi, et Practico L. annorum, Amico meo optimo*, ac *me ipſo*, Salfeldiae in Sala, ſupra Schwarzae in Salam influxum, aurum reperitur.

§. 4.

Curioſa eſt *Syluestri a Lieben* de auro in Sala hiſtoria, quam ex eius Manuſcripto huc transferam, vbi *Lib. I. Cap. VIII.* Aurifabri Veneti, Salfeldiae in Sala flumine aurum colligentis, meminit, ſeque a Sene fide digniſſimo hanc hiſtoriam accepiſſe teſtatur, nempe narrat: *Venetum Aurifabrum, ex arenis et aliis non nullis Salae lapillis collectis, probeque contuſis, nemine hoc ſuspicante*

picante, ingentem auri maſſam conflaſſe. Aurifex cum longinquior forte ipſi ex improuiſo ſubeunda eſſet peregrinatio, aurum iſtud, tamquam chaos quoddam, et ceteris metallis, admixtisque ſordibus nondum ſeparatum, hoſpiti ſuo per ſemeſtre cuſtodiendum tradidit. Cum vero vltra promiſſum emaneret, hoſpes aurum depoſitum et ſuae fidei commiſſum, ad conficiendarum campanarum vſum (ac ſi aes ſit caldarium) gratis confert ac deſtinat, quae mirum in modum ſonantes euaſerunt. Reuerſo demum Veneto aurumque repoſcente depoſitum, lis orta eſt, quae tamen, vbi cognouit Venetus, ad pios vſus eſſe collatum aurum illud, facile iterum diremta lis fuit. Quod, ſi ita eſt, (vt reuera eſt) quis non noſtrum fluuium auriferum pronuntiet? Hactenus Syluester a Lieben. Aurum etiam natiuum, purum *Chriſtophor. Eucelius, Salfeldenſis*, in Sala in piſcium capitibus reperit, confer eius *Lib. I. de Re Metallica pag. mihi* 14. quod etiam in *Schwarza* et *Albi* vidit: et *loc. cit.* Palacam Hiſpanicam German. *gediegen Gold* in *Schwarza* et *Sala* offendit. Omitto, quod ſupra laudatus *Keyſerus* Salfeldiae in *Sala* aurum obſeruauerit, et ego etiam ibidem inter arenas aurum viderim.

§. 6.

Infra Schwarzae in Salam influxum, non ita procul a *Schöps* et *Mauen* (ſi bene memini) defuncta Struuii Coniux aurum lauari curauit. Non minus etiam in aliis Salae locis lauari poteſt. Ante aliquot annos, IO. IAC. BAIERO teſte,

ſte, Ienae aurifabri mulier anſeres in foro emit, in quorum ventriculis auri natiui grana plurima reperta ſunt: poſtea haec mulier plures anſeres ſpe lucri emebat, in quibus nihil auri reperiebatur. De auri in Sala origine infra agam. Aurum, quod in Sala lauatum eſt, in curioſorum virorum muſeis offenditur.

§. 6.

Aurum in Schwarza amne circa arcem Schwarzeburgicam copioſius occurrit, et aliquando ad pagum *Schwarza*, vbi Salam influit, lauatur. Hoc aurum ad Rudolphopolin portatur venale, et Principi Sereniſſimo venditur. Ab aulico quodam relatum habeo, quod in domo Schwarzeburgica catena aurea longa, ex Schwarzae noſtri auro confecta, ſeruetur. Narrauit etiam quidam Metallicus Schwarzeburgicus, Beatiſſimum Principem nouendecim drachmas auri in Schwarza collecti, in vno die accepiſſe.

§. 7.

Supereſt adhuc, vt explicem, *vnde in his aquis aurum?* Quod ad Salam attinet, opinor (*1*) *Aurum, in illo longo ſpatio, a monte Pinifero*, vulgo *Fichtelberg*, *ad Albim vſque, per montes, agros, valles et ipſam Salam, ſuas occultas nobisque ignotas venas ſparſiſſe.* Hinc facile fieri poteſt, vt perpetuus aquarum fluxus, ſenſim ex auri venis, Salae fundum tranſeuntibus et quaſi diuidentibus, (vulgo *ſtreichende Gänge*,) minutiſſima ramenta et grana abripiat et eluat: (2) *Ceteros riuos, torrentes*

tes

tes et fontes, aut agrorum inundationes aurum, quod in ſuperiori terrae parte eſt, metallicis *wel-ches zu Tage ausgebet, cum aquis ſuis in Salam de-ferre.* Nonſolum vero aquae aurum in Salam deferunt, ſed etiam pyritem, auro praegnantem; quale pyritis genus in Sala et Schwarza reperi, de quo etiam in §. 4. in hiſtoria aurifabri veneti dixi: (3) *Schwarzam amnem aliquid auri, quamuis non omne, in Salam deportare.*

§. 8.

Has coniecturas, de auri in fluuiis ortu approbat *Agricola* Lib. V. *de ortu et cauſſis ſubterran:* *Cap. 13.* qui ait: *Sed hic quoque dicendum eſt, de metallorum ortus loco, qui propriae terrae tributus eſt. Etenim in eius venis et fibris gigni certum eſt; attamen, quia etiam in arenis fluminum reperitur aurum, Albertus ibi fieri putat, quem quidam ſecuti curſus fluuiorum eius metalli fertilitate diſtinxerunt. Sed aurum ibidem non gignitur; Verum id aut ipſae amnium et riuorum fluxiones et impetus a montibus abripiunt: aut fontes ex fibris et venis montium effundunt in riuos et amnes.* Et paullo inferius in eodem capite pergit: *Itaque aurum a venis et fibris abreptum conſidit in arenis, in eis non gignitur. Arenae enim fibris carent, in quibus humor, ex quo fit aurum, contineri poſſit. At ſub arenis, ſi fuerint fibrae, in eis aurum gigni poteſt, vt etiam ſub paludibus. Aqua enim comprimens terram, metallorum ortum non impedit.*

§. 9.

§. 9.

Duae priores de Salae auro coniecturae, in §. 7. iamiam propositae, in *Schwarza* nostra etiam locum inueniunt, quibus hoc accedit, *quod semimilliare fere a pago Reichmannsdorf mola metallica, das Goldpuchwerk, sit, quae auri mineras contundit*, et in eadem regione *riuulus aut torrens quidam, ex quo lauando et separando auri grana colligantur*, vulgo *das Seiffenwerk, quae aqua deinde Schwarzam influit* Quare facile fieri posse autumno, vt haec aqua aliquid auri secum rapiat, inque Schwarzam vehat, et ibi deponat. Tantum de auro Salae et Schwarzae. Obiter saltim hic ex Territorio Serenissimi Saxoniae Ducis ERNESTI FRIDERICI proferam inscriptionem aurei nummi, ex lauato auro facti, in cuius latere priori Serenissimi Principis imago cum hac circumscriptione conspicitur: ERNESTVS FRIDERICVS DVX SAXON. I. C. M. A. ET W. in altero vero latere: ZV SCHWARZENBRVN AVS DER GOLDWAESCHE.

Der

Der
Schwarzenbrun
gibt Gold,
dergleichen bricht
Schalkau,
Das Saltz ſchenckt
Lindenau,
GOTT iſt dem
Lande hold.
Hildburghauſen 1716.

§. 10.

Pergo iam ad AVRVM FOSSILE, de quo tamen hic obiter quaedam ſaltim dicam, quia in alio libro fuſior ero. Eruitur hoc aurum in vicinia noſtra, in Ducatu Salfeldenſi ad pagum *Reichmannsdorf*, ex monte, vbi pyritis ſpeciei inſidet, et aliquando cum minera martis friabili, metallicis *Eiſenmann*, effoditur. Quamuis hic mons noſtris temporibus tantam auri copiam Sereniſſimo Principi, non largitus ſit, quantam ante C. et CC. annos dedit, tamen ſperandum, venam auro foecundam imminere, metallicis *daſs der Gang ſich bald veredlen, vnd eine reiche Ausbeute geben werde.* Interim tamen ex hoc monte tantum auri depromtum eſt, vt *Sereniſſimus Princeps, IOANNES ERNESTVS* multos ducatos ex hoc auro confici curaret, cuius ectypum

pum alio tempore communicabo. Ingentem auri copiam ante CC. annos ex hoc monte erutam esse, ex veterum Manuscriptis exploratum habeo. Sed plura suo loco. In Vogtlandia ad *Kuttenheida* etiam aurum fossum est, teste *Albino in der Meissnischen Bergchronica pag. 128.*

§. 11.

Ex auro Ducatos nummosque alios, annulos, pocula, coronas regum et Sceptra fieri, aurumque in subtilia fila extendi, et vestium nodos his filis inuolui, fimbriisque inseruire, notum est. Ingens etiam auri massa, quotannis in Europa in lamellas admodum tenues, *Goldblättlein* malleatur: quibus lamellis templa, Principum arces, et varia ad ornamentum parata, mortuorum coronae, epitaphia, statuae, libri etc. obducunt. Praetereo vires medicas, medicis cognitas. Num vero aurum lepram praecaueat? quod *Osiander* putauit, qui hunc in finem semper auream catenam collo gestauit, nondum exploratum habeo.

§. 12.

ARGENTVM, in agro nostro hactenus reperire non potui: Salfeldiae in vicinia nostra copiosum eruitur, cuius fodinae sunt: *Das Haus Sachsen*, *Maria Elisabeth*, *die Silberkammer etc.* ex hac vltima multum argenti erutum est, ex quo *Serenissimus Princeps* monetam confici curauit, in cuius vno latere *Serenissimi Principis imago* cum hac inscriptione. D. G. IOHANNES

NES ERNESTVS VIII. DVX SAXONIAE I. C. M. A. ET W. in altero vero latere: MON. NOV. EX FODINIS SALFELDIENSIBVS CAMERA ARGENTI DICTIS 1692. De argento alibi plura.

§. 13.

CVPRVM haud copiose in agro nostro occurrit, tam ad Salam, quam in vineis, agris et vallibus, quod in fragmentis saltim reperitur. Multum cupri vero in profunda terra agri nostri latere probabile est; quia venae paruae aliquando in summo agro nostro obseruantur, quas venas metallici *streichende Gänge, welche zu Tage ausgehen, oder am Tage sind*, appellant. Ante paucos annos non ita procul a pago *Zwetzen*, rusticus aratro cupri mineram ex agro eruit. In fodinis Salfeldensibus multum cupri est, item in fodinis Schwarzeburgicis, quarum plurimae circa pagum *Könitz* sunt. Sed omitto has fodinas, ne nimis prolixior sim: nec recensebo varietates minerarum, et cupri vsum, ac in medicina vires.

§. 14.

FERRVM sequitur, cuius minera passim in agro nostro, in primis in Leutra, et Roda reperitur. Cum vero in nullo agri nostri loco fodiatur, illud praetereo, id saltim monebo, quod prope Rodam malleus ferrarius sit. Ferri minerae sunt RVBRICA FABRILIS, de qua *Cap. IV. §. 5. p. 45.* et OCHRA, de qua *loc. cit. §. 6. p. 46.*

dixi. Ferri minera diues in Ducatu Salfeldenſi copioſe eruitur, vbi in Sylua, non procul a pago *Reichmannsdorf* et *Hoheneiche*, aliisque in locis, effoditur. In illis fodinis, quae inter *Reichmannsdorf vnd Hoheneiche* ſunt, martis minera reperitur, admodum plana et a natura quaſi polita, ita, vt faciem noſtram, tamquam in ſpeculo diſtincte repraeſentet.

§. 15.

Praeter haec metalla etiam in Ducatu Salfeldenſi PLVMBVM reperitur, de quo ſuo loco. Cetera mineralia, quae in eodem Ducatu fodiuntur, ſunt: COBALTVM, ANTIMONIVM, VIRIDE NATIVVM, COERVLEVM NATIVVM, CHRYSOCOLLA, GALENA etc. Huc etiam referam LITHANTRACES, quamuis ad hoc caput minime pertineant, quae prope *Gräfenthal* fodiuntur. De his omnibus in opere ipſo agam, et labori huic impono

F I N E M.

EPI-

EPILOGVS EDITORIS:

En hic habes, *humanissime lector! oryctographiam* SCHVTTEI. *Clarissimus* auctor certissime in ea *adcuratius* elaboranda *omnem* olim *mouit lapidem.* Enim vero *annorum* iam *quadraginta sunt praeterlapsi*, quum *lucem primam adspexit* dictus hic *ingenii foetus.* Ego quidem, *haud paucis lima indigentibus obseruatis*, ipsam admouens, *politius limaui opusculum.* Auctor *recte* fecit, quod suo tempore systema elegit *Baierianum*, at enim vero nostro aeuo non amplius *classici auctoris instar est celeberrimus* IO. IACOBVS BAIERVS, vt tunc temporis fuit habitus. Dicto in eo systemate multa insunt, quae hodiernis eruditis,

in primis rerum metallicarum conſultiſſimis, viſa ſunt *minus conſentanea naturae.* Non poſſum non huic ſententiae ſubſcribere. Itaque *non pauca et noſter libellus comprehendit prorſus non recentiorum ſententiae*, in rei natura fundatae, *ac ingenio congrua. Superſtitioſa hinc inde immiſta non curo*, quippe haec, *vt falſa, et inutilia* cuilibet rerum naturalium curioſo *facillime illuceſcunt.* Ordinem naturae plane non conſentaneum reiicio. Multo animi labore ordinem naturae *quam maxime conſentaneum* equidem excogitaui, *quem adhibiturus ſum*, ſi *Deus ſanitatem ac vires benigniſſime largitus fuerit*, in *eo libello*, a me de eadem hac materia, de *foſſilibus* nempe *ienenſibus conſcribendo.* Namque libellum ſub titulo: MEMORABILIA IENAE SVBTERRANEAE, *iuris publici facere, meum induxi animum.* Hanc SCHÜTTEI oryctographiam *prodromi loco* eſſe cupio. *Proprium* ſyſtema, a me feliciter excogitatum, in eo electurus ſum, et fundamenti loco poſiturus. Molior equidem *opus*, quoad *mei ingenii vires, cogito quas ſentio, quam ſint exiguae, magnum*

gnum, in quo *iuuari me cupio* a curiosis atque *sagacioris ingenii viris. Opus* profecto adgredior *reipublicae* suo tempore *vtilissimum*, non dubitans, fore *saltim aliquos*, qui me in tantis rebus adiuuent et consiliis *mihi* adsistant. *Iam magnum fossilium ienensium numerum indefesso studio corrasi*, et, quantum alia negotia permittunt, omni adhibita industria *adhuc* colligo. *Ager Ienensis* harum rerum *feracissimus* est. *Consilio* ac *liberalitate viri excellentissimi* atque *amplissimi*, IO. ERN. IMMAN. WALCHII, *eloquentiae et poeseos professoris publici ordinarii*, *harum rerum peritissimi*, adiutus, in eiusdem agri historia naturali, quae videlicet *ad regnum subterraneum* spectat, desudare animo decreui. *Creberrimas excursiones* ad cuiuscunque generis fossiles res colligendas *suscipio*, earumque *completissimum catalogum consignare coepi*. Hunc illi libello insertum, collectis omnibus ac singulis, quae ager ienensis exhibet, bono cum Deo diuulgare mecum constitui, de singulis *enucleate* ac *dilucide* dicto in *opusculo* commentaturus. Noster numerus SCHVTTEI nume-

 rum

rum *valdopere ſuperabit.* Quae quum *re vera* ita ſint, viros eruditos rerumque naturalium *collectores* et *aeſtimatores* ea, *qua decet*, obſeruantia *obnixe rogo*, velint *huic meo propoſito fauorem beneuolentiamque ſuam* non denegare, ſed id *omni modo* promouere: quod enim ſi cuiuis quaedam *rarioris notae* foſſilia, e territorio *ienenſi* depromta, innoteſcant, *faciat ille, quisquis ſit*, vt ad *meam* quoque *notitiam perueniant;* vel ſi etiam in muſeis aut ſcriniis quorundam quaedam *petrefacta rariora* e noſtro territorio, vel *figurata notatu digniora* inſint, illos quam humaniſſime exoro, vt eorundem vel ſaltem *nomenclaturam*, vel, *quod melius erit, adcuratam deſcriptionem*, et, ſi fieri poteſt, *rariſſimorum icones atramento pictorio*, vel *alio quocunque colore expreſſas mecum communicent.* Tali enim ratione mihi facile erit, publico non *abſolutam* ſolum *ſciagraphiam omnium* cum olim, tum adhuc hodie ex *ienenſibus terris erutorum*, vel *ſponte quaſi prodeuntium foſſilium exhibere*, ſed etiam *harum rerum muſea* nominare potero, in quibus *haec rariſſima cuſtodiuntur*, et vbi *aeſti-*

aestimatores ea *contemplari* et *admirari* possint. *Certissimam habeo spem*, fore, vt hic meus labor, *qualiscunque sit*, omnibus *ingenuis naturae indagatoribus probetur*, et ab ipsis *multum adiuuetur: quaeuis* enim amicitiae *officia vicissim praestanda sancte* polliceor. *Si quis* datis ad me litteris *harum rerum commercium meum inire*, seu *alia fossilia cum meis commutare* animum habuerit, *me nullo non tempore* habebit *paratissimum* et *promtissimum*.

Porro sciendum est, me adiuuante summo Numine *mineralia* ac *metallica*, quae territorium *Smalcaldense* sistit, in *peculiari tractatu*, et quidem *vernaculo sermone*, *systematice pertractaturum esse*. De *Francobergensibus* mineralibus idem dicendum, quorum *pertractationem systematicam lingua propositurus sum vernacula*. Neque vero non de *memoratu dignissima crypta subterranea*, quae ad pagum *ienensem* GESHWITZ est, breuem scriptionem, *si Dei est voluntas*, *propediem promitto*, quam *secundis perpolitam curis prelo committam*. In vo-

tis habeo, vt et hoc ingenii monumentum *intelligentium iudicio* probetur, id quod me alliciet, *plura mineralogiam illustrantia publicae exponere luci. Fieri* Deus iubeat *iter* a me *hoc tempore* susceptum *tam turbido feliciter.* Faxit *benignissimum Numen*, vt omnia mea suscepta in IPSIVS *gloriam*, et *proximi emolumentum prospere eueniant.*



INDEX

Scriptorum ceterorumque in hoc libello nominatorum.

INDEX

INDEX

Rerum memorabilium.

Ferrum

Nitrum

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.